

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
DE
MORBIS INTER ESTHONOS
ENDEMICIS,

QUAM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE

LOCO CONSUETO DIE XXIV. AUG. PUBLICE DEFENDET

AUCTOR:

CAROLUS ERNESTUS BAER,

IN ESTHONIA NATUS.



DORPATI,
LITTERIS J. C. SCHÜNMANNI
MDCCCXIV.

I m p r i m a t u r,

ea quidem sub conditione, ut simulac dissertatio haec typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quae secundum jussum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, die xiv. Aug. MDCCCXIV.

Dr. Daniel Georgius Balk,
Pathologiae et Therapiae Professor publicus
ordinarius, a Consiliis Collegiorum Russicis etc.
Censor.

Et

8570

i 39420012

Prooemium.

Non dubito fore plerosque, qui materiam, quam mihi elaborandam proposui, vituperent „Dissertationem inauguralem medicam, forte dicant, doctrinam medicam amplificare et communi usui esse debere, sed de Esthonorum morbis scribere, operae pretium non valere, incolarumque tantum modo hujus provinciae interesse.“ Confiteor quidem, artem medicam haud mediocri amplificatione et emendatione indigere, nobisque eo nitendum esse; sed juvenis, qui brevi inde a tempore difficilem, haudquaquam tutam viam iniit, quae ad cognoscendum humanum organismum in statu sano et morbo, ducere promittit, raro tantum progressus erit, ut suae aetatis viris in hac via dux esse possit; rarius illi continget commilitonibus diutius hanc ar-

tem tractantibus methodum curandi morbi docere, quae multo cum fructu aegrotantibus adhibeatur. Utrumque aliis committo, qui majoribus viribus instructi, majora praebere possunt, et contentus sum, si scripsi, quod haud supervacaneum videatur. Quae autem unus et alter medicaster affirmat, morborum endemicorum investigationem vix fructuosam esse, non consentio, eamque potius tutissimam viam puto ad cognoscendas leges animalis vitae, ideoque ad fundamentum artis medicae. Sola haec investigatio nos docere potest quanti momenti in homine ejusque morbis sit aeris temperataeque vicissitudo, soli paterni natura, victus et morum varietas, quod ad confirmandum, initium tantum gravissimi libri Hippocratis: De aere aquis et locis lecturis in memoriam revocare volo. — „Qui artem medicam recta investigatione consequi volet, is primum quidem anni tempora in considerationem adhibere debet, quid horum quodque possit. Neque enim

quicquam habent simile; sed cum inter se plurimum differunt, tum etiam propter varias, quae in eis contingunt mutationes. Deinde vero ventos tum calidos tum frigidos, praecipue vero eos qui cuique regioni sunt familiares. — — Quare si quis ad urbem sibi ignotam pervenerit, is ejus situs curam habere debet, ut cognoscat quomodo ad ventos aut solis exortum sit exposita etc.“

Morbi endemici vero Esthonorum non tantum nobis, incolis provinciarum, quae mare Balticum attingunt, notu digni sunt, sed omnino, ut iis cognoscendis et curandis omnem operam navemus, merentur. Ex quo tantopere undique nituntur, hujus populi statum politicum et moralem meliorem reddere, et Aesculapii discipuli sacro obstringuntur officio saluti physicae ejus pro virili parte consulere, praesertim cum de hac non minus salus moralis pendet, quam physica de politica.

Alii mihi crimini dabunt, et forte meliore jure, magnam meam videri arrogantiam, qui juvenis, in arte curandi tiro, accedam ad talem materiem elaborandam. Dicent: ut morbos endemicos cujusvis provinciae noscamus, naturam, qualem se in sano corpore dat, et quomodo in aegroto aberrat, acuto ingenio medici, qui in exercenda arte jam insenuit, diu observandam esse. Afferent porro, plures jam theoretica notione et experientia instructos, de morbis Esthonorum scripsisse et methodos curandi dedisse. Ad quae respondere meum esse puto. A prima pueritia hac in gente degenti non defuit occasio eam bene cognoscendi, et quidem nullis opinionibus medicorum pro rebus certis sumptis, perturbatus, cum notio earum notionem Esthonorum eorumque morum apud me sequeretur. Quae res mihi prae plerisque antecessoribus meis utilitati est. Iam tum morbi Esthonorum attentum animum occupabant. Postero per nonnullos annos in cli-

nico nostro Dorpatensi, in quo plerumque Esthoni nobis curandi committuntur, duce direttore, cl. Prof. Balk, morbos, quibus illi praecipue laborant, animadverti, quae observationes, ut omnes annales clinici, roganti benigniter communicati, pathologica et therapeutica ratione praecipui fontes sunt, e quibus hausi. Quisquis difficultates novit, quae medicum provincialem urgent, nec ignotus est impedimentorum vix superabilium, quae ruditate, opinionibus praeprejudicatis, nulla fide medicinae data et inde orta inobedientia praeceptorum medici, certae observationi in curandis ruricularum morbis se opponunt, quoties diaeta penuriae, socordiae vel ignorantiae causa negligatur, facile fatebitur, pauciores observationes in instituto clinico factas plus valere, quam multorum annorum experientiam doctorum virorum, quibus cum illis impedimentis certandum erat. Haec est causa, cur morbos Esthonorum ab integro tractandos esse putem, ad quod studium hac dissertatione invitare vellem. Alii, qui de statu

morboſo hujus populi nonnulla tradidere, rudes erant medendi arte [Joh. Bernh. Fiſcher *) et Hupel **)]; alii inſcii ſermonis illorum vel alienis fontibus uti, vel in obſervando interpretibus confidere debebant, qui, ignari primorum elementorum medicinae, diagnoſin, jam per ſe apud Eſthonos multis difficultatibus circumventam, omnino impediabant. Nonnulli libri, quam aetati, qua prodire, magno uſui, noſtris temporibus tamen non amplius accommodati ſunt, eumque, qui maximi pretii inter omnes eſt: Dr. Winkler von einigen der gewöhnlichſten Krankheiten der Ehſtländiſchen Bauern, Reval 1793, propter multas novas experientias et emendatas notiones, nonnullis partibus aliter elaboratum, totumque opus in aliam formam reductum velimus. Novum tale et omnibus partibus abſolutum encheiridion hoc opusculo dare non poſſum. Ad elaborandum

*) Lieſländiſches Landwirthſchaftsbuch Pag. 735-861.

***) Oekonomiſches Handbuch Pag. 281 etc. Deſſelben Topographiſche Nachricht. Bd. I. Pag. 558.

tale opus tantum invitare et exemplum proponere volui. Hinc brevem hanc delineationem vobis potissimum, commilitones carissimi, dedico, et vobis futuris alumnis hujus instituti, in patria nostra florentis, ut vos impellam, communi opera in cognitione patriae versari. Difficillima pars hujus notionis, nempe medica, haud scio an melius excolenda erit, quamsi, simulac institutum clinicum frequentare coeperitis, vel omnes morbos rusticorum Esthonicorum, vel certa genera eorum accurate vobis observanda sumitis, et in posterum factis in usu medendi experiētiis, cum summa earum conjunctas has observationes in vulgus editis. Quid virum, qui nihil humani a se alienum putet, clarius ornet, quam, quicquid sit virium in ipso, saluti popularium suorum impertire.

His praemissis non inutile erit docere quibus rationibus in elaborando maxime ductus sim et qua via, quod mihi proposui, perfecero. Morborum genera experientia supeditavit. Rationibus jam ante dictis annales

clinici et observationes, quas ipse feci, potius
 secutus sum, quam opiniones et praecepta
 autorum. Si gens quaedam morbis endemicis
 laborat, quorum vi etiam alii morbi mu-
 tationes quasdam communes subeunt, mo-
 menta quaedam pathologica communia id
 efficiant, necesse est. Quae cum tantum
 ex rebus, quae saepe in populo efficaces in-
 veniuntur, deduci possint, omnino necesse
 et mores ejus et naturam terrae, quam in-
 colunt noscamus. Mutato ordine utar,
 praemissis, ex quibus cetera derivari pos-
 sint. Dissertatio haec itaque in sex partes
 dilabitur, quarum prima de natura soli et
 aeris, secunda de statu et moribus Esthono-
 rum aget; ex quibus tertia pars momenta
 aetiologica quaeret, quarta praecipua mor-
 borum genera, quae apud Esthonos repe-
 riuntur, enumerabit, et quinta in therapiam
 inquiret. Ad extremum verba nonnulla de
 diaeteticis, deque modo salutem physicam
 gentis Esthonicae juvandi, faciam.

Caput I.

Geographia physica Esthoniae ejusque Livoniae partis, quam Esthoni incolunt.

§. I.

Extensio et situs.

Plaga terrarum, quam Esthoni incolunt ducatum Esthoniae, borealemque ducatus Livoniae partem, circulos quidem Dorpatensem, Pernaviensem et insulam Oesel complectitur *). Esthonia propria a $58^{\circ} 15'$ ad $59^{\circ} 36'$ latitudinis borealis et a $39^{\circ} 48'$ ad $45^{\circ} 51'$ longitudinis (ab insula Ferro orientem versus) extenditur; Livonia Esthonorum vero a $57^{\circ} 30'$ ad $59^{\circ} 6'$ latitudinis et a $39^{\circ} 18'$ ad $45^{\circ} 15'$ longitudinis porrecta invenitur. — Extensio arealis ad octingenti vel octingenti quinquaginta milliaria quadrata excurrit.

*) Haec Livoniae pars Livonia Esthonica vel Esthonorum in dissertatione nostra dicatur, ut ab altera Livoniae parte, quam Livoniam Letticam nominemus distingui possit.

§. 2.

Soli indoles.

Solum maxima ex parte planum et excepta paludum multitudine satis foecundum; ita ut plus frumenti producat, quam ab incolis consumitur. Arena in littoribus maris majorumque lacuum satis late extensa invenitur, sic in regione Revaliensi, inque Pernaviensi juxta sinum Rigensem, in littoribus lacuum Peipus, Wirtjerw, Jerkel etc.; in media terra rarius occurrit. Nec desunt ericeta. — De magna sylvarum abundantia in Livonia et Esthonia multa semper dicta sunt, et quanquam has terras ligno uberes habere possis, si cum Germania aliisque australioribus regnis comparas, negandum tamen non est hanc ubertatem manifesto diminui. Jam in vicinitate oppidorum et oppidulorum nulla sylva insignis exstat *). Causas magnae ligni consumptionis invenies in septis e ligno extractis, quibus agri nostri circumdantur, in consuetudine nostratum loca inculta arboribus et fruticibus ustis ad producendum frumentum apta reddere, in magna quantitate aquae vitae fabricata,

*) Quam cito sylvae diminuantur, ex pretio ligni apparet, quod in quadraginta annis in decemplex excrevit. Vide Hupel: Topogr. Nachrichten Bd. I. pag. 94. Conf. Friebe: Physisch - ökonomisch - und statistische Bemerkungen von Lief- u. Ehstland. Riga 1794, pag. 231.

in horreis calefactis ad siccanda frumenta et in prodigente domus calefaciendi modo inter Esthonos usitato. (v. §. 10.)

De locis humidis uberius loquamur, partim quia in pathogenia maximi momenti sunt, partim quia multi, qui de Livonia scripsere, solum pro sicco habent. Sic Bergmann in initio §. 5. Dissertationis suae solum et in §. 3. aerem siccum dicit *), quod in Livonia Lettica esse potest, minus tamen in Livonia Esthonorum, minime quidem in Esthonia propria. J. B. Fischer **), Storch ***), viatores plures terram percurrentes, et alii, qui antecessores exscripserunt idem contendunt. Sed reputent secum in viis parandis paludes evitatas esse et agricolas potius, venatores et botanicos nostrates de hac re rogent, si paludum abundantiam cognoscere volunt. Quantum earum Livonia

*) Dissert. de ruric. Liv. statu sano et morbo. Mox repugnat sibi et in exitu ejusdem §. 5. legimus: „Praeterea Livoniae terra paludosa magisquam arida conspicitur.“

**) Liefländische Landwirthschaft. In locis pluribus.

***) Statistische Uebersicht der Statthalterschaften des Russ. Reichs, Riga 1795. Facillime perducereris ut fidem des his tabulis, quippe quae ex mensionibus mathematicis derivatae feruntur; sed vix nullam fidem illis habendam esse dilucide docetur ab H. A. a. Bock. Vid. Neueres ökonom. Repert. Bd. 2. St. 2.

contineat jam adspectus tabularum Eckardti *) docet. Inter loca aquosa harum terrarum quatuor diversa genera distingui possunt, quorum pessimum e lacubus exoletis ortum habet, et interdum sine vitae periculo calcari non potest, quia jam saepe homines et pecora ingredientia submersa sunt. Paludes has e lacubus exoletis ortas esse, ita ab experientia probatur, ut refutari non possit, nam magnum lacuum numerum in dies diminui et vacillans novum humus stratum aquae superficiem magis magisque tegere videmus, imo pisces interdum ex talibus paludibus capiuntur, quod monstrare videtur has aquas cum lacubus inopertis communicare **). Secundum genus, loca turfosa seu cespitosa, et tertium, loca scilicet uliginosa, in media aestate partim siccantur. Ad quartum genus fluviorum ripas et inundata (hic Luchten) refero, quae copia foeni excellentia maximi momenti sunt Livoniae ruricolis. Praeter paludes majorem partem sylvarum, fruticetorum, pratorum in patria nostra inter loca humida numerandam esse, ratione quidem medica, nemo negabit.

*) Topographische Uebersicht der Rigischen Statthaltschaft, Riga 1792.

***) Sic in magna palude haud procul ab arce Oberpahlen ut Fischer testatur. Versuch einer Naturgeschichte von Livland, pag. 21.

§. 3.

Montes, fluvii et lacus.

Nusquam in Esthonia montium majorum tractus inveniuntur, nec rari montes alte sublatis, potiusque colles. Littus, quod septentrionem spectat, constituunt strata lapidum calcareorum, quae nonnusquam in altitudinem octoginta pedum exsurgunt. Mox mare attingunt, mox spatio plurium verstarum ab eo per terram fluctuum vi admotam dijunguntur. Fines australes praecipue occidentem versus altissimam regionem praebent, ibique multi continui colles, montium speciem imitantes. Nonnullis in locis Esthoniae quoque, ut in Livonia Lettica ambo montes Kanger *), memoratu digna reperi per medias paludes juga montium in utramque partem declivia, quae hominum opera exstructa putares. Lacus permulti. Excepto cui nomen Peipus, in finibus Esthoniae sito, lacus Wirtsjerw maximus est. Aqua salubri non indigemus, modice calcarea. Fluviorum maximi sunt fluvius Pernau et Embach. Praeterea magna rivorum multitudo; nec desunt fontes minerales sed plurimi non satis perquisiti. Hodie demum in usum venire coepere, sicuti tandem in nostris diebus domus Revaliae exstructae sunt ad usum balneorum marinarum.

*) Conf. Fischer Naturgeschichte pag. 10-17.

Partem septentrionalem et occidentalem terrarum, quas Esthoni incolunt, mare circumfluit et orientem versus magnus lacus invenitur. Hae aquae ad constituendum clima multum conferunt, cum notum sit subitam terrae calefactionem et refrigerationem aquarum vi prohiberi, eaque re calorem et frigorem minui. Nisi Livonia et Esthonia cum ingenti terrarum imperii Rossici mole conjunctae essent, quae late extendendo effectum maris justo minorem reddunt, hae provinciae eodem coelo gauderent, quo Dania, cum vero modo dicta causa clima nostrae provinciae magis arcticum, quam Daniae facit. In littoribus Livoniae et Esthoniae multum maris gelascit, totusque sinus Fennicus continua glacie plerumque tegitur. Cum physica doctrina docet, tantum caloris opus esse ut glacies in aquam mutetur, quantum opus sit ut eadem aquae quantitas a temperatura 0° R. ad temp. $+60^{\circ}$ R. perducatur, cum porro observationes in minore aquae copia factae, ostendunt aquam non prius supra punctum congelationis calescere, quam, quantum glaciei inest, in aquam mutatum sit, cumque hae observationes, mutatis mutandis ad glaciem in mari referri possunt, facile intelligitur, quantum

caloris redeunte vere ad glaciem liquefaciendam adhibeatur necesse sit, prius quam temperatura quodam modo augeatur, quod in §. 6. affirmatum videbimus. Mari Baltico minus salis inesse, quam maribus magis ad meridiem, neminem fugit *); an vero gravitatem majorem specificam habeat quam adjacentia, ut nonnulli contendunt **), nec exploratum habeo, nec credo.

§. 5.

Atmosfera.

Aer, quo circumdatur homo, cum ad sustentandam vitam animale plane necessarius sit, et omnium rerum extrinsecus efficacium, sine quibus organismus vita frui nequit, saepissime vim in eo exserat, facile colligi potest, quanti momenti sint ea, quae ratione pathogenetica ex varia atmosphaerae natura hauriri possint. Non solum causis e theoria sumtis hoc affirmamus, sed omnibus, qui fide et ingeniose naturam scrutati sunt, consentientibus, e quibus tantum Hippocrates ***) et Zimmer-

*) Gaspari affert mare Balticum vix quartam unciae salis partem in libra aquae una habere. Vid. Vollständ. Handbuch der neuesten Erdbeschreibung, 2te Aufl., 1812.

**) Sutterus: Dissert. de statu sano et morbo accolarum Maris Baltici, — cujus auctoritatem secutus est Bergmann §. 4.

***) De aere, aquis et locis liber.

mann *) nobis testimonio sint, qui excellabant ingenio et sagacitate, qua in hominum morbos causasque eorum inquirebant. Itaque primum de atmosphaerae ratione et climatis conditione universe loquemur, tum pro diversitate anni temporum.

Paludum multitudine et ingenti glaciei et nivis copia vere liquescentis, atmosphaera vaporibus impletur, qui quam noxii sint satis constat **), et quorum vim nocendi quisque intelligit, qui morbis curandis operam dat, si aegrotantium numerum in paludosis et siccis regionibus inter se comparat. Variè attamen humida in diversis temporibus atmosphaera. Cum aqua, quam physice et chemice solutam atmosphaera continet ***), non eam profert conditionem, quam humidam dicimus, sed tantum aqua, quae exsoluta excernitur, facile liquet, tempore quo solutionis et excretionis causae magis variant, humidiores aërem apparere debere. Hae causae vere et autumno inveniuntur, cum majori temperaturae varietate die et noctu modo physice solvantur vapores, modo

*) Von der Erfahrung in der Arzneikunst, Zürich, Bd. 2. pag. 147 etc.

***) Nebulas in Esthonia nullo detrimento esse Dr. Petri affirmat, quod tamen paradoxon medicum explicare omittit, vide: Ehstland und die Ehsten etc. Vol. I. pag. 57.

***) Parrot Physic, Bd. 2. §. 1168. pag. 424.

excernantur. Plures eodem tempore spirant venti, unde fieri potest, ut proportio particularum constitutarum aëris saepius mutetur, et chemice soluti vapores modo excernantur, modo solvantur. Fervida aestate hae causae minus vigent; hinc aër siccior. Hieme excreti aquarum vapores in nivem gelascunt. Meteoris aquosis redundamus, nec calidis aestatibus tonitrua rara. —

Venti nostris regionibus nulli regulae obnoxii. Maximam utilitatem afferunt, aërem a nimis vaporibus expurgantes, ita ut, simulac per aliquot tempus nulli venti spirabant, frequentiores inveniantur morbi. Ventus subsolanus, qui in secunda veris parte regnat, siccus plerumque; favonius, autumnos spirans, mare Balticum permeans, humidus ad nos adfertur. Aquilo praecipue vere frigidus, si redeunte calore multa adhuc glacies sinum Fennicum et mare glaciale occupat, qua aër, maria transcurrens, refrigeratur. Auster siccus magis est et fervidus, quando ad orientem appropinquat, si vero ad occidentem, humidus ad nos accedit. Procellae in autumnos frequentes.

§. 6.

Clima physicum.

Clima physicum vocamus in qualibet terra

rationem tempestatum et aeris temperaturae. Temperatura partim pendet a climate mathematico, i. e. distantia ab aequatore, partim ab altitudine terrae, et denique a situ ejus, quo incidentes solis radios excipit. Praeter has causas primarias, soli indoles et cultura ejus temperaturam varie moderantur.

Eandem latitudinem borealem geographicam terrae Esthonorum habent, quam septentrionalis Scotiae et Daniae pars, australis Norwegia, oppidum Jeniseisk, paeninsulae Kamtschatka, Alaschka et terra Labrador, sed mitiori coelo gaudent quam terrae ad orientem magis conversae, praecipue quae sub eodem latitudinis gradu in America sitae sunt; in contra magis arcticae sunt quam septentrionalis Daniae et australis Norwegiae pars. — E. A. W. Zimmermann *) conferendo propagationem quadrupedum, idem cum provincia Kasan, Tartaria, Kalkas, Mongolia et Korea habere Livoniam clima physicum concludit.

Alta montium juga non reperiuntur, quibus coelum refrigerari possit. Tamen pro regionum diversitate aliquantam varietas existit. Regio Dorpatensis plures fovet fructus, qui non proveniunt in prope adjacenti provincia Jerwen,

*) Geographische Geschichte des Menschen und der Quadrupeden. B. III. pag. 265.

ubi fruges et fructus, qui in hortis coluntur, serius maturescunt quam circa Dorpatum. Causa plerumque in latitudine geographica minori modo dictae urbis poni solet, sed dimidii gradus differentia, ut tantum valeat, non fieri potest. Majori jure diversitatis soli et declivitatibus terrae ratio haberetur *). Nempe si cursum fluviorum contemplamur, omnes rivus in septentrionali Esthoniae parte directione parallela septentrionem petere videmus, fluvios vero australis Esthoniae partis et Livoniae Esthonicae in fluvios Embach et Pernau colligi, unde probatur borealem partem septentrionem versus, australem vero in vallem amnis Embach declivem esse. Vicinitas maris, ut saepius monui, frigorem hiemis et calorem aestatis nonnullis gradibus temperat, imprimis a noxio gelu nocturno tuetur, vere et autumnis maxime frequenti, nec non menses Junium et Julium interdum infestanti. Quid? quod, inter populares meos constat, praedia et vicos, lacubus et fluviis majoribus adjacentia, rarius frugibus et hortorum fru-

*) Quantum discriminis solum et affinitas maris in climate faciat, docent observationes Dr. Friebe, tres hebdomades serius in Marienburg ver incipere quam Rigae, quae nonnullas minutas tantum magis versus meridiem sita est. Vide: Abhandlungen der Liessländischen gemeinnützigen und ökonomischen Societät. Bd. II. pag. 179 und 180.

ctibus gelu privari, quam quae hoc situs comodo carent.

Novissimis annis Livoniam et Esthoniã majori frigore vexari, agricolae grandes natu affirmavere; quod an verum sit, dijudicare non possum paucis tantum adhuc observationibus hac de re factis, attamen fieri potest, neque a vero abhorrere videtur. Latissimae patriae nostrae sylvae in orientem porriguntur, maximaque momenti sunt ad frangendam et leniendam nimiam vim Euri, qui regiones permeat, quarum temperatura frigore longe antecellit Livoniae clima. Valde vero diminuta est novissimis annis sylvarum copia, et ventis subsolanis liberior potestas data, terram refrigerandi.

Quod ad vices temporum anni attinet, terrae, de quibus agimus, medium fere obtinent inter Germaniam australem et Lapponiam. Illic quatuor anni tempora zonae temperatae inter se fere aequalia sunt, hic duo tantum tempora, frigidum et calidum inveniuntur. Cum vero difficile sit descriptione generali tempestatum vicissitudines exponere, earumque notitia ad cognoscendos morbos endemicos plane necessaria sit, liceat mihi descriptionem tempestatum, quae in unoquoque mense obtinent, experiri secundum proprias experientias conjunctas cum per aliquod annos Dorpati factis ob-

servationibus. Nulli regulae vero tempestates in nostris regionibus obnoxias esse, neque expectandum, eundem tempestatum ordinem quovis anno repetitum videre, non possum non monere.

§. 7.

Vicissitudo tempestatum in diversis mensibus.

Initio mensis Martii sol vim quandam in nivem, qua campi nostri teguntur, exercere incipit. Quae tamen vis adeo exigua est, ut nix quidem ab arboribus tectisque decidat, in campis vero magis etiam comprimatur. Fine ejusdem mensis solvitur acris hiems. Noctes autem semper frigidae sunt ad -10° R. adeo ut densa plerumque glacie obruatur aqua. Venti cum atmosphaerae conditione maxime variant.

Aprilis nubilus et ventosus. Boreas eurusque regnant plerumque et maxima ex parte frigidi sunt. Cum glacies maris Baltici omnino liquefacta est, aër mitigatur. Gelu nocturno, maxime ineunte hoc mense, terra nostra vexatur. Sub finem ejus tenera provenit herba quantum nix haud raro de coelo cadit. — Majus rarissime tantam affert jucunditatem, quantum in terris ad meridiem spectantibus. Plerumque subfrigidus, ventosus ac pluviosus cum tanta

varietate ut noctu saepe ningat, et circa medium diem molestus sit calor. Novissimis Maji vel primis Junii diebus tempestas tandem incipit de qua canere licet:

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terrae quem ferunt solutae.

Iam omnia celerrime vigent, ut fere dici posset, nunc herbas ipsas crescere videmus. Frondes tenerae arborum suavem odorem exhalant nec sane quisquam hoc anni tempus in Livonia agens, australium terrarum ver praeferet, nisi anni asperitas aliam coeli rationem attulerit. Durat vero breve tempus tanta jucunditas. Nam circa medium Junium ardor coeli accrescit diesque longiores fiunt adeo ut longissimus fere spatium duodeviginti horarum cum dimidia complectatur. Exigua igitur intensitas effectus solis, cadentium radiorum obliquitate procreata, maxime augetur. Ut aestus, qui nonnunquam nobis tolerandus aestate est, *) exemplum afferam,

*) Cum plerumque alienigenae arbitrantur Livoniam aliasque septentrionem spectantes terras ne aestate quidem aliquo calore gaudere, indigenae vero, memores fervoris, quem Junio et Julio mensibus saepe tolerabant, opinantur calorem, in terris meridiem versus, imprimis tropicis nostrum multipliciter superare, non possum non, quin brevibus comparando demonstrarem, gradum caloris non ita differre, quanquam in nostris regionibus aestas brevior sit. Venti Sirocco fervor longe lateque inclytus ad $112^{\circ} F = 35,5^{\circ} R.$ adscendit

ardorem solis meridiani per hebdomadem Junii mensis anni 1811 hoc loco perscribere volo.

d. 14 —	25,3° R.
- 15 —	26,9° -
- 16 —	29,5° -
- 17 —	28,7° -
- 18 —	27,3° -
- 19 —	28,7° -
- 20 —	28,5° -

Junii nostri tempestas haud raro mutatur et pluviam affert. At Julio mense, quo maxima paludum pars jam sicca est, tempestas nostra ei fere comparanda est quae in tropicis regionibus existit; nulla paene pluvia, nisi quam tonitrua secum ferunt, quo fit, ut plures per hebdomades ros nocturnus omnem udorem ad incrementa herbarum necessarium suppeditet. Cum vero, ut jam saepius dixi, varietas coeli nostri

(Brydone Reise durch Sicilien und Malta, 2ter Thl.) itaque $6\frac{1}{8}^{\circ}$ R. plus quam calor, quem die XVIto. m. J. ann. 1811, Dorpati in umbra thermometrum monstrabat. Maximus vero certe observatus aestus apud Senegal erat 117° F. = $37\frac{7}{9}^{\circ}$ R., ergo $8\frac{2}{3}^{\circ}$ R. plus nostro calore. Radiis solis expositum thermometrum $+ 35^{\circ}$ R. interdum indicasse invenio in observationibus hic factis. — Sic et in Lapponia fervor brevis aestatis vix tolerabilis est et in littoribus Groenlandii aestu enormi pix navium liquefacta esse traditur. Conf. E. A. W. Zimmermann: Geographische Geschichte des Menschen etc. Bd. 3. pag. 57.

maxime apprehenditur, aestivi menses variant necesse est et jam saepe gelu nocturnum Junio et Julio mense agricolae spem sustulit. Ineunte Augusto, certe borea et euro regnantibus, calor tolerabilis est. Ultima hujus mensis hebdomades crebriorem afferunt pluviam quam initium Septembris, cujus dies saepe sunt sereni, noctes vero perfrigidae. Medio tempore hujus mensis jam omnes plantae defloruere. Novissimi Septembris dies cum Octobre et primae fere hebdomades Novembris ad tristissimum maximeque insalubre anni tempus pertinent. Coelum nubibus tegitur, pluvia, nix, gelu et procellae frequenter oboriuntur, ut aliquot tantum passus cernere liceat. Saepius nives cadunt, quae paucorum dierum spatio resolvuntur. Medio Novembre nives cadentes campos in totam hiemem obruunt (quod nonnunquam Octobre, aliis vero annis non prius quam fine Decembris fit, maximo cum damno salutis, id quod tertium opusculi hujus caput docebit). — Perdurat fere hiems nostra usque ad initium mensis Martii. Aliquoties, praecipue mense Februario modice tepida tempestas existit. Nives plerumque duos, in sylvis autem ad quatuor pedes altae, terris nostris maximam afferunt utilitatem, quippe plantas a nimia vi frigoris tuentur. Fluvii lacusque crassa teguntur glacie nec non paludes

congelascunt. Magnificentiam hiemis nostrae homines australes vix comprehendere possunt, cum scilicet sylvae onore prementium nivium obruuntur vel minutissimi arborum rami pruina nitent, omnium minime coelum stelliferum, quod ob magnam aëris nostri puritatem tempore Januarii et Februarii multo nitidius nobis apparet quam plurimis regionibus australioribus. Nives lucidae compensant quodammodo longa noctium spatia. Frigus — 8° ad — 12° R. aliquot mensibus esse solet. Thermometrum vero cadit nonnunquam usque usque ad 27° R. (e. g. 24. Dec. 1813 Dorpati). Meridionalibus finibus anno 1803 d. 12. Jan. — $29\frac{1}{2}^{\circ}$ R. observabantur. *)

Quamvis experimentis cl. Prof. Parrot constat, glaciem etiam evaporare, haec tamen evaporatio minime nocet corpori; nam aut aqua in aëre omnino soluta est aut gelascit etiam, cum primum secernitur. Tum vero vel sub forma nubium coelum tegit vel pruinae modo terrestribus adhaeret rebus. Sanitati corporis maxime nocent vehementiores venti, qui corpus non solum inaequaliter sed etiam repente refrigerant.

*) Abhandlungen der liefländischen gemeinnützigen und ökonomischen Societät, Bd. 3, S. 207.

§. 8.

Chorographia.

Cum in diversitate soli posita est causa, cur in aliis regionibus hic, in aliis ille morbus frequentissimus sit, non alienum videbitur diversos tractus pro ratione eorum inter se breviter comparare.

Esthonia constat ex quatuor circulos, quos vocant Harrien, Jerwen, Wierland et Wiek. Harrien (esth. Harjo ma) arena littora, tumstratum lapidum calcareorum habet, quod tegitur tantum tenui terra; cetera pars ferax quidem frugum est, continet vero non paucas paludes. Wierland (esth. Wirro ma) orientem versus vastis ornatur sylvis, cujus pars australis ad saluberrimas Esthoniae regiones pertinet. Jerwen (esth. Järwa ma) nominis originem ducit ex multitudine lacuum, quorum haud parva vis paulatim exolescit. Abundat paludibus, quas agri fertiles excipiunt. Wiek (esth. Läne ma) culturae impatiens, magnas et saepe impenetrabiles paludes habet, campis arenosis intermixtas. Qui hanc regionem incolunt Esthoni, omnino pauperrimi sunt.

Esthonica Livoniae pars in regionibus aquilonalibus est sylvosa et in littoribus lacus, quem vocant Peipus, arena, septentrionem versus a Dorpato proficiscentibus modice sicca.

Ad occidentem vero ad Oberpahien et adversus Pernau, partim stagnosa, partim sylvosa; maritima ora arenosa: fines, qui interjacent Esthonicam partem et Letticam, sunt, ut jam memoravi, montuosi et altissimi hujus terrae; quo fit, ut aër hic saluberrimus sit. Insula Oesel arenoso utitur solo.

Dorpatum quidem dignum est, quod separatim describatur, cum major pars aegrotorum clinici nostri instituti, (quo duce in dissertatione mea nisus sum, et quod forsán fons erit, ex quo, morbos Esthonorum uberius et copiosius tractaturi, haurient) eo veniunt vel ex oppido ipso vel ex circumjecta regione. Undique editis locis circumdatum, Dorpatum in valle situm est, quam perfluit rivus Embach. Dimidia pars oppidi septentrionem spectans utitur, maxime e regione orientis, madido solo. Quae pars quotannis verno tempore plus vel minus tumida fluvii aqua inundatur quae non nisi aestate in-eunte diminuitur. Cetera eaque major pars meridiem versus sicco solo gaudet et ex oriente tantum terram uliginosam attingit; ad occasum vero appropinquat paludi, praedio Teckelfer propriae. Clivi circumjecti beneficam vim ventorum arcent et maxima pars vaporum, qui ex vicinis iisque udis locis et ex fluvio ipso tolluntur in urbe restitat. Quantum hae inundationes

mali afferant, quae non aërem solum sed et domos ipsas humiditas reddunt et aquam magno calore putridam praebent, ex eo cernere licet, quod Clinicum nostrum, pro multitudine hominum, multo plures aegrotos ex ea urbis parte quae est trans flumen, quam ex ceteris partibus accipit. Maxime inde veniunt homines, qui rheumatismo, omni ulcerum genere, herpete, hydrope cet. laborant.

C a p u t II.

De moribus Esthonorum *).

§. 9.

Esthonica gens in genere.

Quae priore in capite memorabantur terrae, a duabus nationibus, nempe Esthonis et Germanis incoluntur, singulis iisque raris fami-

*) Quanquam haud ignoro, inter Esthonos et Esthones a nonnullis discrimen factum esse, gentem ipsam Esthoniae rucolarum Esthones, omnes vero omnium gentium, qui Esthonia incolunt, Esthonos nominatos esse, id facere omisi, ne perspicuitatem offendam. Nec credo in Esthonia viventes Germanos, jure Esthonos nuncupari.

liis Russorum Svecorumque exceptis. Non hic nisi de Esthonis fiet mentio, quippe necesse erit, si accurata morborum, quibus premuntur, cognitio paranda sit, res ad vitam eorum pertinentes exquirere.

Esthoni-sive primi Esthoniae sunt incolae, seu immigravere, sive a septentrione huc advennerunt, seu, Tacito vivente, sub nomine Aestiorum (Haestyorum) terram borussicam incoluere, seu ab Ural originem duxerunt — haud infitiandum est, quin ad Fennicam nationem pertineant, cum Fennis, qui propriam Finniam habitant, cognatione proxime conjuncti sint et inter ipsos et Lappones, Morduanos, Tschere-missos, et ceteras stirpes ejusdem nominis aliqua intercedat similitudo *). Ipsi sese appellant Ma-rahwas. Summam quadringentorum quinquaginta millium hominum efficiant. Quod attingit ad animi culturam, a plurimis Europae nationibus longe superantur, nam perpauci scribere didicerunt. Maxime agris colendis victum quaerunt, nec cura pecudum tam magna. Qui oram maritimam accolunt, piscatui operam dant. — Sermo duas habet dialectus, nempe Revaliensem et Dorpatensem, quae quidem in

*) Vide: Beschreibung aller Nationen des Russis. Reichs. 1ste Abtheil. Nationen des Finnischen Stammes, St. Petersb. 1776.

variis regionibus admodum variant et Fennico sermoni adfines sunt, cui rei documento praeceteris sint: Hupels topographische Nachrichten, T. II. pag. 173. Omnes ad unum mancipia Germanorum sunt, inopes et multarum rerum usum nescii.

§. 10.

Esthonorum domicilia.

Domicilia Esthonorum testantur utique egestatem et sordidam inopiam. Plerumque exstructa sunt in communibus vicis. Quatuor parietes, octo pedes altae rudibus trabibus contignati, tecto stramineo, fumario deficiente, tecti sunt. Intervalla trabum muscis (plerumque sphagno pallustri. Lin.) complentur. Tale aedificium, octo ad decem orygias longum et circiter quatuor latum, ex duabus primariis partibus compositum est. Major pars (esth. rehheallune) frugibus flagellandis ac purgandis, nec non stramento et pluribus aliis rebus necessariis atque instrumentis conservandis inservit. Minor pars continet, praeter atrium quoddam, cellam adjunctam (esth. Kamber) quae plerumque calefieri nequit, et majus conclave (esth. tubba s. tarre) quod hospitis rustici cum familia domicilium efficit, ubi gallinae, anseres cum

canibus locum habitationis inveniunt, nec non saepe, si praesertim acris hiems est, oves, caprae et porci commorantur; ad hoc fruges ibidem torrentur. Carcer ille, vix quatuor ad quinque orgyiarum longitudine quamque partem versus, rarissime fenestra utitur; quin potius fieri solet, ut duo foramina in pariete sint facta, quae valvis claudi possunt, et lucem admittunt. Eodem etiam usu janua est, quae ex atrio in conclave fert, ex duabus partibus constans, ex quibus una aestate, tota vero hieme clauditur. In angulo domicilii fornax saxis exstructa, parietes ingentis crassitudinis habet et duobus pedibus profundior est quam pavimento. Ante fornacem scrobs facta est (esth. leauk) eo consilio, ut homines ad ignem propius accedant vel ad corpus calefaciendum vel ad cibum parandum et cetera facienda. In cubiculo est, praeter proprium altiusque tegmen, alterum quoque quod non per totum cubiculum perducitur, in quo frumentum torrendi causa imponitur. — Appropinquante hieme si id conclave caleferi debet, Esthonus in fornace ingenti tantum ignem facit, ut, quia fumarium deest, totum cubiculum fumo compleatur. Janua, quam modo memoravi, et altera, quae in aream fert, tum aperiuntur, ut fumosus vapor emigret, quae, quoniam per totas horas patent,

faciunt, ut habitatores ab uno latere ardorem ignis fornacalis et ab altero gelu hibernum sentiant. Si quis, ad familiam Esthonorum non pertinens, tali tempore hoc fumarium intrare audeat, paene suffocatur et fumi vi insueti oculi lacrymas stillant. Intrans, tamquam pestilenti vento exponeretur, sub nubem fumosam usque ad pavementum fere sese demittere cogitur, nisi suffocari velit. Cum primum major fumi pars, qui parietibus cum vestibis et corporibus hominum nigram crustam obducit, abiit, januae claudi possunt. Tum vero ingens carbonum vis ex interiore fornace protrahitur, quia illis cubiculum multo magis calefieri debet, quam ingenti mole fornacis. Fumosa nubes si antea sanitati habitantium obstabat, vapor carbonarius, qui nunc domicilium implet, infestior est, adeo ut pro beneficio habendum sit, quod exigua aedificii soliditas impedire non potest, quo minus gas oxygenium irruat. Postquam ingens carbonum vis aliquamdiu ardorem suum prodidit, cubiculum mox fornaci candefaciendo servienti comparandum est; nam Esthonus, qui non calidum sed ardens cubiculum in maxime expectendis bonis habet, minime cogitat de parcendo lignis; huc accedit, quod ingens ardor ad fruges torrendas necessarius est. In hoc ardore, qualis, fornace calefacta, in domicilio Esthoni

existere debet, respicias, quaeso, confertam familiam hospitis cum ceteris hominibus, respicias ejus bestias domesticas et humidum frumentum alterius tegminis; denique respicias exhalationem harum rerum fervore auctam et multis morborum causis, quae affert talis vitae conditio, perterrearis necesse est; cum praesertim reputes, saeviente hieme, calefactum cubiculum paucis post horis refrigerari. — Pavimentum hujus tugurii ex luto conficitur; utensilia omnia simplici usu crassis sordibus superinducta. Dominus et domina soli habent lectum, ceteri habitatores per pavementum circumjacent; sed exoptatissimus quiescendi locus est super fornice fornicali, ubi Esthonus se beatum putat, cum sudando corpus relaxatur. Vespere et saepe diebus hibernis, cum januae clausae sunt, pro candela utitur fissa taeda (esth. peerg seu pird). Sic comparatum est sordidum, vaporibus plenum, luce et gaso oxygenio carens domicilium, quod Esthonus certe hieme habitat, dum aestivis mensibus sub divo salubriori sede gaudet. Numerus adjunctorum aedificiorum rem familiarem Esthonorum sequitur.

§. II.

Vestitus.

Quamvis parva gens Esthonorum est, ve-

stimenta tamen variant in diversis regionibus, ut difficile sit allatu, quod ad omnes accommodetur. Quin longus essem, si varia vestium genera enumerare vellem. Hoc igitur loco sufficiat, si ea omnino afferam, quae pertineant ad morborum causas inveniendas et ad aestimandam vim vestium in aegrotantibus.

Collum quidem utriusque sexus nudius est, cervix tamen non circumcisis capillis paullulum tegitur. Pectus quoque parum velatur. Pedum tegumentum inter calceos et sandalia medium tenet et parum praesidii parat contra udorem frigusque. Haud raro etiam videas Esthionos hiberno tempore nudis pedibus operas facere, nisi sub divo diutius commorari cogantur. In longinquis itineribus, in arboribus caedendis et aliis similibus operis, quae hieme fiunt, pedes suos tutantur stramento in calceos impositi vel binis tibialibus etc. Est omnino reliquis vestitus crassus ac deformis. Sinus feminarum, quia levi modo tegitur, nulli subiicitur pressurae. Infantes parvi intus et extra fores continuo fere indusiis tantum utuntur.

§. 12.

Alimenta.

Esthoni sane edaces sunt. Iam terra eorum borealis id suspicari facile patitur; at longe

superant omnes suos finitimos ejusdem geographicae latitudinis. Ab infantia inde venter nimis et impletur et distenditur. Hieme Esthonus bis edit aestateque, ubi bene mane ad operam faciendam pergit, ter cibum sumit; primum nona hora matutini temporis (ne in animo habeas jentaculum modicum, quale nos sumimus) tum praeterlapsis sex horis, deinde vespertino tempore. In cibo sumendo, Esthonus obliviscitur (sit venia verbo) altiora fere homineque digniora omnia. Non potest fere, quin maxima cum tarditate eo munere fungatur. Nec fere unquam, vel in frequenti coetu, jocus quietum circulum exhilarat.

Cibus plerumque ex pane constat, confecto non ex cribrata sed rudi cum furfure commixta farina, qui levem quandam aciditatem habet et gustatu jucundus est, tum aestate tum hieme praecipuum, unde vivunt, alimentum. In magna annonae caritate farinae nonnunquam palea intermiscetur, quo fit, ut miseri Esthoni dupliciter falluntur; nam omnium primo alimentum insalubre sumunt; tum ventrem stimulant durae glumae et particulae aristarum, adeo ut, quidquid continebat, celeriter amoveat, priusquam concoquendi copia fieret, idcircoque mox cibi appetitus redit, qua re et parsimoniae commodum perditur.

Praeter panem frumentum praebet etiam granum degluptum, quo partim ad pultem partim ad jusculum utuntur; ex farina et lacte conficiunt quoque proprium cibum, qui vocatur Kört quique simillimus est glutini bibliopogorum. — Olerum et raparum jam pridem satis colebatur ab Esthonis ac consumebatur. Honestissimis quibusdam praediorum possessoribus hoc beneficium debetur, quod novissimis temporibus cultus solani tuberosi paeni vulgaris est. Et magna nutriendi vi, quam continent, et quod fere nunquam omnino successu carent, quodammodo frumenti inopiam compensant. Ex leguminibus pisis fabisque frequenter, raro lentibus vescitur Esthonus. —

Esculenta poma sponte non proveniunt in nostra terra. Baccarum haud inopes sumus, ex quibus creberrime in usu sunt: ribes nigrum L., vaccinium myrtillus L., vacc. vitis idaea L., vacc. oxycoccos L., vacc. uliginosum L., sorbus aucuparia L., rubus idaeus L., rub. chamaemorus L., rub. saxatilis L., fragaria vesca L. —

Esthonus vescitur raro tantum carne, nec fere nisi solis ac ceteris festis diebus. Carnem suillam potissimum eligit et autumnis tempore, quo nuptiae et festa messoria celebrantur, fa-

cile ventrem his suis deliciis nimis implet. Praeterea consumit carnem ovillam, bubulam et caprinam. Quamyis sylvae nostrae copiam ferarum suppeditant, non tamen inter alimenta Esthonorum hae numerandae sunt, nam Germanis vendunt fere, quidquid occiderint. Pecus plumigerum maxima ex parte ad vendendum alitur quamvis anser nonnunquam in autumnalibus conviviis consumitur. — Esthonia cum rivis abundat et vasta littora habet, piscatus etiam alimentum praebet. Ceteris piscium generibus praefertur ex mari Baltico clupea sprattus L.? (Strömling), ex lacu Peipus cyprinus muraenula Lin. Sed alia etiam genera piscium fluviatilium a rusticis nostris consumuntur, quae quidem modo memoratis sapore postponenda, majore tamen facilitate nanciscendi praeferenda sunt. E regno animali lac cum butyro creberrima tamen alimenta praebet.

Unicum condimentum, quo etiam Esthonicarere non possunt, sal est. Cujus si penuria fiat, id quod ante aliquot annos accidit, non minus eis molesta est quam frumenti gravitas; nam cum torpida eorum organa concoctioni servientia sine hoc incitamento nimis farinaceum victum non concoquunt, talis penuria vel maxime obstat sanitati corporis.

Potiones.

Inter omnes potiones Esthonorum est aqua, ut apud omnes rusticos homines frequentissimo usu naturaeque convenientissima. Excepta hac, potu (esth. kalli vel tare) aliquo acidulo peculiari utuntur, quem ex furfure vel polenta, aquam infundendo fermentatis, parant. Cerevisiae usus rarus. Aestivo tempore cum operam faciunt, vas lacte repletum semper secum ferunt, quod acidum factum et cremore amoto cum sero lactis commixtum est. — Esthoni, ut et ceteri boreales populi sicerae (Brandwein) amantissimi sunt. Plerique satis habent id referre et vitium ebrietatis, quod ortum dicunt ex pravitate eorum, odiosissimis nominibus increpare; medicum vero decet rem penitus investigare et causas in corporis constitutione ceterisque rebus quaerere, ex sententia magni Hippocratis, qui in libro suo: „de aëre, aquis et locis,“ a tironibus nocturna diurna-que manu terendo, dicit hominum mores regionis naturam imitari. Equidem credo hanc inquisitionem eo magis hoc loco agendam, quia ad cognoscendum statum sanum et morbosum Esthonorum conferre videtur.

Quisquis aliquamdiu in udo frigidoque aëre commoratus est, qui magnam vim habet geni-

tam in corpore electricitatem et calorem aver-
tendi, sentiet haud mediocrem virium defectum,
nisi, ut ita dicam, siccissima constitutione sit;
nec ulla alia res normalem statum organismi tam
restituere et jucundiorum sensuum in eo excitabit
quam si irritamentum spirituosum sumat, quod
recentis vitae scintillae instar vim systematis
nervorum animique auget. Quo magis phleg-
matica constitutione corporis est, eo recrean-
tior haec vis. Quid mirum, si homines, quos
illa vis corporis animique agitationem depri-
mens tam invadit quam nostros agricolas, prae-
sertim verno et autumnali tempore, potum de-
siderent, qui tantam illis utilitatem affert. Si
respicias quoque, ut in longis itineribus, tanta
hiemis nostrae asperitate, non aliter fieri possit,
ut a frigore sese tutentur, quam si interiorum
caloris explicationem talibus incitamentis augere
conentur, est quod animadvertamus, novam
Esthonis occasionem dari hujus potionis usui
sese adsuefaciendi. Requirit quoque hic popu-
lus laetos sensus, ut momento temporis mo-
lestae conditionis suae immemor fiat nec ru-
dis animus afficitur nisi feroce ac tumultu-
ante laetitia, placidae alacritati alienus. Quo
circa feroces Germani tempore Taciti *) prae-

*) Tac. Germ. c. 22.

ter bella et venatum nulli alii indulgebant voluptati, quam quae ebrietate parabantur.

§. 14.

Corporis animique habitus.

Observatori quanquam ingenioso nihil fere difficilius est, quam corporis habitum et temperamentum populi in universum referre, quamvis ratio agendi et sentiendi notissima ei sit; etiamsi multos annos apud eum vixerit et corporis ejus statum animadverterit, arduum sane ac difficile erit ex ingenti vi singularum observationum, quod in universum sit verum, discernere et rem tantum essentialem ita exponere ut peregrinus etiam perspicue sentiat, quid sit quod inter populum descriptum aliosque intersit. Fit igitur ut descriptiones populi cujusdam haud raro diversissimas videamus, saepe etiam in descriptione unius ejusdemque observatoris omnino contrarias res deprehendamus.

Corpus Esthonorum succosum potius quam siccum est et musculi haud dubie, pro coeli temperie, laxiores essent, nisi duri labores et omnium rerum, quae emollire possint, remotio induraret. Plurimi Esthoni sunt mediocri magnitudine; facies plerumque tumidior, languida, sine insignibus lineamentis, pallescens nec, nisi operam faciant ardente sole, rubor oris obori-

tur. Crinis frequentissime flava, in infantia saepe alba; interdum etiam atrii capilli cum subfusca facie. Mediocres sane vires corporis. Temperamentum in genere phlegmaticum ad melancholicum paullo propensum. Quo fit ut et corpus eorum non facile afficiatur morbis et animus raro tantum eundem tenorem amittat. Incessus vacillans omnesque motus tardi. — Perpauci tantum Esthonorum strictissimo sensu melancholici sunt. Hi sunt, quos modo atris capillis insignes memoravimus. Est quidem illis parva sed solidior firmiorque structura corporis. Sunt etiam graviore, morosiores ac occultiores quam major vis phlegmaticorum. Si horum facies stupidam indolentiam exprimit, vultus illorum tectam indignationem ostendit. Magnum quidem discrimen est inter Esthones, qui borealem partem et qui ad Dorpatum habitant. Hi magnitudine vincunt illos et prae se ferunt propositam imaginem facilius noscendis linamentis quam populares Revaliensem terram incolentes; hi enim non tanta tumiditate oris, paulo promptiores, minus lenti et in aliorum ordinum homines amiciores. — At uterque sexus multo magis inter se differt. Ad Esthonicam puellam indoles nationis supra relata vix accommodari potest. Vegetior, alacrior, in laborando laetior et tum saepe cantans, quod sexus vi-

rilis non ita facit. Crines flaviores quam viro-
rum. Nec ullae reperiuntur nigellis capillis. *)
Quod si feramus ad feminas Dorpatenses Estho-
nicae originis, aliquid subtrahendum est. Hic ne
unam quidem inveni, quae venustatem sibi vin-
dicare posset. — Physiologus et psychologus
facile causas hujus differentiae, quae inter utrum-
que sexum intercedit, inveniet. Cum femina,
praesertim antequam in conjugio curis matrisfa-
miliarum prematur, in sanguineum temperamen-
tum sese inclinat, minus varias percipit mole-
stias et obsequii sensus, qui viro omnem vim et
dignitatem adimit, fere nihil valet apud animum
feminarum, pro harum structura.

His adjicere volumus pauca quaedam de
morum habitu apud Esthonas. Profecto plures
scriptores id egerunt, ut huic genti omnia vitia,
quae in hominem cadere possunt, adfingant;
quin Paulus Einhorn opinatur, quia vocabulo vir-
tutis sermo careat, eam quoque omni virtute de-
stitutam esse! O probabilem argumentationem!
— Quae vitia haud neganda sunt, hic enumere-
mus: pigritia, sordides, humilior in fortiores ob-

*) Dr. Petri, quod his contrarium erat, vidit. Per duo-
decim annos, quos in Esthonia egit, fere nullas alias
quam badias (brünette) feminas cognovit. O impuden-
tem mendacem!!

temperatio et ferocia et saevitia in inferiores. Proclivitas eorum ad voluptates amoris saepius exaggerabatur, qua etiam in re Hupel; egregius vir, injuste egisse videtur.

§. 15.

Corporis cultus.

Esthonicae mulieres maxima ex parte facile pariunt. Ubi vero minus prospere res succedit, naturam saepe violentissimo modo adjuvare conantur. Haud raro fit, ut corpus puerperae cingulo circumligetur quo partus exprimendus est, vel in situ pendenti habeatur, ut fetus quatiendo edatur et quae reliqua sint.

Recens natus Esthonus sane meliori utitur conditione quam ejus similis, infans Germanae originis, quod ei alimentum, a natura designatum, praebetur nec mercede conducta muliercula uberibus suis eum admovet. Rarissime fit, ut mammae Esthonicae mulieris ad sugendum inutiles sint, quo vitio Germanae feminae nostrae tam frequenter laborant. Nescio an causa quaerenda sit in eo modo, quo ambae sinum tuentur. Pectus enim Esthonicarum mulierum nulla pressura impeditur, quominus inde ab infantia commode explicetur. (v. §. 11.) Nulla mollities fecit, ut tempestatis vi nimis afficiantur.

Lectulus lactentis vel ex flexibili in pariete vel in tecto adstricta pertica pendet vel apud opulentos rusticos formam cunabulorum Germanorum refert. Contra vitæ incommoda parvulo jam mature luctandum est. Si autumnî tempore in lucem prodiit, plures deinceps menses fumus tugurii, aërque conferta hominum vi corruptus saluti ejus obsunt; — contra si verno tempore nasceretur, tum mater mox eum ad graves aestivos labores secum fert et jacet tunc totum diem pannis male circumvolutus, a vi tempestatis parum tutus. Quin haec causa sit mortis multorum infantium, nemine tale aliquid suspicante; nam Esthonum aegre conviceris, humanum corpus vi aëris affici posse.

Esthonicae mulieres diutissime lactare infantes suos solent. Unum annum cum dimidio plerumque fit; nonnunquam autem ubera praebet in tertium annum. Hujus moris noxiam exponere conanti respondent: experientia docuit, illos infantes robustissimos factos esse, qui diutissime lacte materno utebantur. Nec forsân male judicant; nam alimenta, quae infantibus suis non amplius sugentibus praebent, omnino adeo comparata sunt, ut multum contribuere possint ad ortum scrophulorum et atrophiae, et nescio an fieri possit, ut lactis materni usus or-

tui horum morborum quodammodo obstet. Quam rem longior experientia decidat. —

Iam maturrima aestate matres lactentibus siceram porrigunt, ut, ex opinione earum, robustiores evadant. Quae seriori tempore dantur nutrimenta nihil minus quam utilia sunt. Puls farinacea, polenta, abunde panis et juseulum polentarium sunt res quibus fames eorum depellitur et quas mater saturatis ingerit; nam parvulis non melius consulere se posse putant, quam si permulta porrigant edenda, quo fit, ut mature edaces illos faciant, id quod commune totius gentis vitium est. Si adjicimus aërem humidum vere et autumno et cubicula humecta, suspicari licet, scrophulos et rachitidem haud raro invadere Esthonos, id quod usus confirmat. Omnibus fere liberis, praesertim hiemali tempore, pallida et tumida facies, crassae palpebrae, distensus, saepe tuberosus, si contrectes, venter et torridi artus, denique perfectus habitus scrophulosus est, qui aestate, cum noxiae causae minorem vim habent, plerumque in melius vertitur, nam pallidus color tum commutatur cum rubore sanitatis. Accidit igitur in his terris Esthonorum liberis, idem quod Jean Paul in eximio opere suo, quod Levana inscriptum est, de liberis rusticorum Germanorum memorat. Saepe vero habitus scrophulo-

sus degenerat in verum scrophulosum morbum. —

Liberi utriusque sexus cum aliquid virium nacti sunt, tum parentes opera eorum continua utuntur. Dr. Winkler *) hunc morem laudare videtur opinando, musculos eorum hac re corroborari. Equidem tam maturam virium intentionem in praecipuis causis habeo, cur rustici nostri tam exiguis viribus utantur et provoco ad cl. Petrum Frank **) et Tissot, qui in libro suo: *avis au peuple* contendit: nimis maturos labores facere, ut jam ante tempus multi pueri rusticorum Helveticorum senescant. Utinam ad parvulos non simul referant Horatii illud:

Angustam — — — pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat.

Parvi vires suas exerceant non assiduo labore, sed velut ludentes.

Corpora Esthonorum ad maturitatem tarde perveniunt. Homines viginti annorum saepe videmus, qui magnitudine pueris similes sunt, quamvis mature jam facies multo majoris aetatis vestigia ostendit; tam praecoces homines vi-

*) Von einigen der gewöhnlichsten Krankheiten der Ehstländischen Bauern, Reval 1795, pag. 9.

**) System der medicinischen Polizey, Bd. 2, pag. 540.

dentur fecisse, ut auctores quidam Esthonos celerrime maturescere putarent. Sane immemores erant hanc mature senescentem faciem in juveni organismi infirmitatem testari nec veram maturitatem.*).

§. 16.

In variis anni periodis vivendi ratio.

Priusquam huic capiti finem facimus et in proximo aetiologiam generalem morborum explicamus, haud inutile erit in variis anni temporibus vitae rationem Esthonorum describere; propterea quod ex hac descriptione concludi poterit, quibus morbis in quavis anni vice maxime obnoxii sint.

Flagellato ineunte hieme frumento, genio suo Esthoni indulgent; marmotis similes magnam partem diei in tenebris tugurii dormiendo peragunt, laboribus pro se ipsis et domino minus quam alio tempore urgentibus. Mulieres et liberi praecipue domi servant, dum viri in sylvam procedunt. Quibus sordibus haec gens per hiemem vivit, vix credi potest, et crusta squaloris fere obducerentur, nisi interdum die

*) Nescio an idem dici possit de matura corporis explanatione apud Kamtchadalos, de qua multi scripserunt, nam haud facile creditur, homines in tam boreali terra tanta celeritate adolescere.

Saturni in balneis lavarentur. Haec popularium deliciarum sunt, et quovis anni tempore usitata.

Terra nivium tegmine soluta varii sub divo incipiunt labores. Ager colitur, pecora in pas-
cua aguntur et agricola effectibus humidae et
variabilis tempestatis expositus est. Operae
vero non tam diu durant, quam si arvis sterco-
ratis exeunte Junio messis foenea incipit. Hoc
initium est novae vitae rationis. Iam primum
adspectum major quam hucusque commovet
munditia, quae prae hiemis sordibus jucunde
apparet. Religione quadam obstringuntur ut in
messibus mundi incedant. Cum in vehementi
aestu et intento labore valde sudant, jacturam
lacte acidulo copiose bibendo compensant, cu-
jus in §. 13. mentionem fecimus et quod cum
pane et nonnullis sprattis vel sale sola alimenta
aestiva sunt. Prima luce operae incipiunt nec
nisi occasu solis finiuntur, ut, quomodo corpus
post brevem quietem gravissimo fervore tantum
adniti possit, difficile intellectu sit. Ingruente
nocte humi procumbunt et dormiunt, vestibis
tantum tecti, rori et nocturno frigore expositi.
Eadem res est in messi secali. Sed si ventus
autumnalis supra stipulas fertur ac dies decre-
sunt, et laborum quidem molestia diminuitur,
sed post paucarum noctium quietem una denuo
flagellando frumento danda est; attamen jucun-

dissimum ruricolis hoc tempus est, cum nova messis meliorem conditionem praebeat. Autumno, quo non solum multa festa messoria sed etiam nuptiae, multorum dierum convivii celebratae, incidunt, jure de iis cum vate Mantuano dicere possumus:

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur
Mutuaque inter se laeti convivia curant.

quod medicus in curandis morbis autumnalibus bene perpendere debet.

C a p u t III.

Momenta ad pathogeniam.

§. 17.

Status sanus Esthonorum.

Cum de corporis constitutione hujus populi in §. 14. necessaria attuli, nonnulla tantum hic adjiciam. Conditione corporis eorum pituitosa ad morbos chronicos propensiores fiunt, quam ad acutos. Haec causa est, cur plures scriptores, interque eos Bergmann *), valida valetudine eos esse contendunt; chronici enim

*) Diss. de rur. Livoniae statusan. et morb. pluribus locis.

morbi, quos ipsi negligunt, raro domino vel medico innotescunt, donec omnino motu capti sunt — quanta vero est multitudo eorum, qui tussi chronica, asthmate, rheumatismis chronicis, infarctibus, colica laborant, quanquam sani putantur. Difficile omnino dictu est, hic populus utrum bona valetudine fruatur, an infirma. Cum simplicitate in vivendo utitur, haud parvam vitae partem sub divo degit, corpus certe robustius minusque aptum morborum causis capiendis est, quam qui eandem terram incolunt Germani, neque tamen firma valetudine gaudere eos dicam. In organismo, qui vere sanus dicatur, omnes functiones eo vigore eaque ratione fieri debent, ut jucundus inde sensus sanitatis oriatur, qui Esthonis parum notus est. Minorem incitabilitatem vero, nec organismi vires efficere, ut Esthoni multis nocentibus rebus in eos irruentibus minus obnoxii sint, quam aliae gentes, eo demonstrari arbitror, quod in conditione et statu non consuetis, cito et graviter aegrescunt, neque naturae viribus juvari possunt. Sic hieme anni 1812 in nosocomio militari Rigensi pro numero eorum, tribus partibus paene plures Esthoni mortui sunt quam Russi. (Eadem quoque erat Lettorum mortalitas.) Sanitatis eorum conditionis firmæ argumentum saepe attulere vitam longiorem, quod

vero nullam vim habet, quippe cum agricolae semper jam longiore fruuntur vita, quam oppidani; deinde, res noxiae, quae vim suam in Esthonos exercent prima a pueritia eadem sunt, ipsisque adsuefacti minus minusque iis afficiuntur; postremo plurimi morbi febriles minus lethales apud eos existunt, quia plerumque catarrhalis naturae sunt. Irfirmum vero corporis statum Esthonorum esse eo quoque affirmatur: quod parva sit eorum propagatio, quod plures inter eos inveniantur mulieres quam viri *). Quomodo quoque fieri possit, ut gens firma sanitate gaudeat, quae pluribus animi influxionibus deprimentibus quam excitantibus urgetur.

Etiam in statu sano digestio Esthoni non ita reperitur, ut esse debebat; irregularis, excreta alvi saepe non satis solida, tractusque intestinorum perpetuis flatibus laborat. Inprimis vero organo cutis animum advertas necesse est. Tempestatum injuriae, domuumque sordibus obnoxium, saepe atrium morborum fit; parvo vero munimento in grave hiemis frigus fervidumque aestatis aestum instructum (§. 11.) tantam adipiscitur soliditatem et rigiditatem,

*) Eckardtii tabularum eas confer, quae de Livonia Esthonica agunt. Qualisque nunc erit proportio, cum tirones milites sistunt Esthoni?

ut non nisi parvam tantum incitabilitatem ostendat, et perspiratio tarde succedat. Ex hac cutis torpitudine liquet, quomodo Esthonus densa veste indutus, saepe etiam pellitus in calore ad + 18° R. incedere possit; hinc facile intellectu est, quomodo nullo tegumento addito e domo calefacta sub coelum prodire possit, sine morbi periculo; hinc denique intelligi potest, quomodo subitae vicissitudinis in usu balneorum, de qua nunc dicemus, patiens sit.

§. 18.

Balnea vaporum.

Qua ratione Esthoni balneis utuntur, majoris medico momenti est, quam ut uberius hac de re loqui omittamus. Frigide lavandi minus amantes, eo magis tepidis vel potius balneis vaporum gaudent. Quovis anni tempore iis utuntur, saepissime vero hieme (§. 15.), primumque auxilium aegrotantibus sunt.

Parvum et arctum conclave ita calefit ut paene suffocareris, et fumo emisso, vaporibus impletur, aqua in lapides candentes fornacis injecta. Scala cum pluribus scamnis semper locum suum tenet in hoc conclavi, quo aut ad sudandum tantum aut ad lavandum utuntur.

„Sudaturus,“ dicit Walther*) qui accurate balnea vaporis, quae in septentrionalibus regionibus usui sunt exploravit, „plerumque altius occupat scamnum, atque in eodem decumbit. Candenti postmodum latericio strato, prout major vel minor desideratur aestus, aqua parcius vel copiosius affunditur. Haec cito in halitus resoluta, vapore hypocaustum replet, quem vel balneans ipse, vel ministrans quidam fascibus, (ex surculis betularum antea aqua maceratarum confectis) ad corporis superficiem adigit. Simul his fascibus cutem caedunt, sanguinemque ad habitum externum alliciunt. Sic cutis turgere, et rubere incipit, sudorque praesertim, si largius aqua funditur, copiose profluit. Id tam diu continuant, quamdiu sudationi inhaerere desiderant. Postmodum aqua calida corpus in inferiori scamno abluere patiuntur. Et talis quidem aqueus vapor etiam excitari solet, si simplici tantum balneo utuntur. Qui autem corporis tantum calide lavandi gratia, hypocausta ista ingrediuntur: ii in inferiori scamno sedent et sudanti ministrant.“ Ex ardore vix tolerabili Esthoni saepe hiemis tempore in nivem se projiciunt, in eaque circumvoluti in bal-

*) Walther Dissert. inaug. de balneorum aquae simplicis usu diaetetico, Lips. 1744, §. 22.

neum redeunt, saepiusque hoc repetunt. Aestate vel fluminibus, stagnis vel ad puteos se refrigerant.

Omnis, qui hoc balneorum genus cognoscit, medicus miserrimos ex iis suspicabitur eventus, eaque plus hominum abripere quam omnem pestilentiam credet. Sibi persuasum erit, eorum usu Esthonorum corpora relaxari et subita temperaturae vicissitudine periculosissimas oriri refrigerationes, quae praecipue affectiones pectoris omnis generis producere debent. Experientia vero edocti sumus, vaporis balneorum usum, praeter Esthonos apud Lettos quoque et Russos, et forte apud plures gentes septentrionales vulgarium, magis prodesse quam obesse. Organi cutis apud Esthonos torpor interdum majoris incitationis indiget, ut functiones ejus rite succedant, neque hoc organon solum majorem actionem accipit, sed etiam systema vasorum sanguiferorum vehementius movetur, pulsus plenior et fortior fit, omnes secretiones et excretiones melius procedunt. Systema nervorum concussum excitatur, et hac ratione organismi, si ipsi jam opportunitas morborum inhaesit, aequilibrium propria vi restitui potest, et multae turbationes circulationis sanguinis, hydropes, tumores oedematosi, scrophulae etc. praecaventur. Exanthemata acuta

et chronica multo crebriora reperirentur, nisi his vaporum balneis cutis saepius purgetur et fascibus caesa ad vegetiorem actionem impelleretur. *) Quod vero praecipue subitam refrigerationem post ardorem attinet, raro tantum detrimento est. Hoc partim ex consuetudine, imprimis vero e ratione praecedentis calefactionis explicandum erit, quae extrinsecus tantum in corpus influit, neque corporis ipsius actione nascitur, quam ob rem refrigeratio multo minus nocet ut cl. Prof. Styx optime monet in libro suo egregio, **) in quo tractatus de balneis dignus est, qui ab quovis hujus provinciae medico legatur. In balneis Esthonos primum auxilium petere rei maxime conveniens cuique videbitur, qui e § sequenti communem characterem et indolem morborum, quibus Esthoni urgentur, cognoscet. Nec infitias eundem est eadem haec balnea interdum novorum morborum causas gignere et cl. Balk hinc haemoptoën, catarrhos, phthisin pituitosam, inflammationes,

*) Lectores meos instanter adhortari volo, ut conferant quae leguntur in Liefländischen Abhandlungen von der Arzneywissenschaft von P. J. Wilde, Oberpahlen, 2te Aufl., 1782, pag. 189—197.

**) Handbuch der populären Arzneywissenschaft für die gebildeten Stände in den nördlichen Provinzen von Rußland, 1ster Th., Riga 1803, S. 115.

febres nervosas, purpuram exoriri observavit. *)

§. 19.

Status morbosus in genere.

Si medicus, non ignorans vim rerum exterarum in humanum organismum, quae huc usque de Esthonis eorumque terra dicta sunt, ingenio perlustrat, de morborum forma, quae inter Esthoniae ruricolae vulgo dominatur, imaginem sibi effingere poterit. Solum humidis regionibus abundans (v. §. 2), vicissitudo tempestatum (v. §. 6), imprimis vere et autumno (v. §. 7), vivendi ratio Esthonorum in aestate, qua terrae rori et nebulae atmosphaerae plane exponuntur (v. §. 16), tenuia pedum tegumenta (v. §. 11) faciunt, ut characterem rheumatico-catarrhalem maxime vigentem suspicari possimus, nec non experientia confirmatur, et catarrhi ac rheumatismi numero carentes essent nisi soliditas cutis Esthonorum (§. 17) eos aliquantum praecaveret. **) Quanquam haec mor-

*) Auszüge aus dem Tagebuche eines ausübenden Arztes, über verschiedene Gegenstände der Arzneywissenschaft, 1ste Sammlung, Berlin 1791, S. 30.

**) Hanc sententiam veram esse, experientia apud Germanos hic viventes facta, docet, qui, tempestatum injuriae si subjecti sunt, multo saepius tumore colli, gravedine, pleuritide etc. laborant.

borum natura pro diversis anni temporibus valde varietur, ut modo ostendam, tamen perspicue deprehendi potest, plurimos morbos febriles, febrem nervosam cum variis generibus, dysenteriam, febrem intermittentem certis anni temporibus praesentim descriptum characterem prae se ferre, et rheumatismorum chronicorum tanta abundantia est, ut in clinico nostro, haud maximo, brevi spatio duorum annorum fere omnia eorum rarissima genera tractata viderim, sicuti lumbaginem, ischiadem nervosam Cotunni, scelalgiam, rheumatismum facialem Fothergilli. Ordinariis doloribus rheumaticis excruciatii ita saepe se offerunt, ut plurimi recipi non possint.

§. 20.

Causae morbiferae ex soli et aëris indole.

Aëris nostri conditio cum magis humida quam sicca dicenda est, omnes morbi, qui inde nascuntur, non raro inveniuntur: febres intermittentes, hydropes, ulcera scorbutica, inprimis ulcera pedum difficillime sananda (quae in humiliore suburbii Dorpatensis parte sane endemica sunt, et lotrices ante omnes invadunt) scrophulae, exanthemata chronica, tumores rheumatici, catarrhi. Pro diversitate soli plus minusve frequentes sunt. Sic regiones clivosae

paroeciarum Raugē et Anzen et insulae arenosae saluberrimae et maxime populosae sunt; imo, quia siccior aër incolas ad morbos minus propensos facit, non paucae epidemiae iis pepererunt. Ita pestilentia, quae anno 1710 Livoniam et Esthoniā cum magna Europae parte devastavit, modo dictas regiones intactas reliquit *). Bene de se actum esse Livonia et Esthonia putent, quod in feryore aestatis plurimae paludes arescunt, cum humidus aër maxime mortifer est, ubi simul fervidus **); quo organa corporis relaxuntur et ad periculosissimas typhi species corpus disponitur. Humor quoque verisimiliter haud negligenda causa est pustulae lividae, inter Esthonos tantum noti morbi, etsi Dr. Rinne dissentit ***); negandum enim non est, eam humidis regionibus saepissime occurrere. Argumento sit humida et

*) V. Fischers Versuch einer Naturgeschichte von Lief- und Ehstland, pag. 6. — B. von Fischer's Lief- und Ehstländisches Landwirthschaftsbuch, 2te Aufl. pag. 780. — Hupels topographische Nachrichten von Lief- und Ehstland, Th. I. pag. 261.

***) Conferantur quae de valetudinis statu nonnullarum insularum australium dicit D. J. G. Zimmermann, in opere: von der Erfahrung in der Arzeneykunst, in 5to capite, lib. IV.

***) Diss. med. inaug. de pustula livida. Dorpati 1809, p. 14.

sylvosa regio, quae non procul a septentrionali parte lacus Peipus, Esthoniae et Livoniae interjacet. Comparatio hodierni et pristini hominum numeri ante pestem anni 1710 hoc morbo humidas regiones, e. g. Wiek, maxime vexatas esse docet. Sylvae, quae respectu medicinae nimiae adhuc inveniuntur, impedito aerae meatu noxiae fiunt, praecipue si multa ligna in iis, ut hic fieri solet, putrefiunt. Modicam vero earum copiam cuivis terrae prodesse, observatorum de re cogitantium experientiae affirmant. Nescio an oxygenii exhalatio causa sit. Denique, in regionibus ad maris litora et majorum lacuum sitis, ejectione piscium, fuci et aliarum putrescentium rerum, atmosphaeram nocentibus vaporibus impleri, non praetermittendum est.

§. 21.

Priusquam morbi causas, quae ex vivendi ratione Esthonorum oriuntur, expono, ex re erit mutationes morborum naturae pro diversis anni temporibus describere, cum haec materies optime praecedentem succedat. Tamen non possum non monere, ut in §. 19. depictum characterem semper ante oculos habeas et dominantis tempestatis in §. 7. descriptae rationem habeas. Ineunte vere propter humidam et frigidam aëris indolem catarrhi ma-

xime frequentēs; et mense Martio statui inflammatorio propriores sunt, quam postea. Pluviae in secunda veris parte crebrae vestes emolliunt operantium Esthonorum, quae in corpore siccantur: „et quam noxiae sint „madida frigidaque indusia, nemo „ignorat,“ ut verbis Huxhamii utar. Humido et frigido aëre functiones cutis impediuntur (quapropter hydropes nunc ingravescunt) quam ob rem antagonistica vi membranae mucosae, quae pharyngem, laryngem, trachaeam obducunt, nec non tractus intestinorum (hic quidem minus quam aestate) afficiuntur. Membranae mucosae nunc in statu inflammationis spuriae versantur, ideoque hoc tempore raucitatem, gravedinem, anginam, tussim catarrhalem, haemoptoën, diarrhoeam videmus. Aucto in exitu veris humore, morbi gignuntur ex diminuto tono fibrarum, febres intermittentes, febres nervosae lentae et acutae, interdum vere solito calidiore febres putridae. Frigidis spirantibus ventis saepe erysipelatis variae species occurrunt. Omnino ver morbis ruricularum nostrorum praepollet, atque chronici quoque morbi, rheumatismus, phthisis etc. ingravescunt. Si exitus Maji vel Junius constantiorem et meliorem tempestatem secum ferunt, imminuta morborum frequentia habitus et species agrico-

larum magis efflorescunt. Increbrescente aestu forma morborum commutatur. Systema cholopœicum secundum observationes omnium medicorum in omnibus terris majorem inde irritabilitatem nanciscitur, et saepe morbi biliosi obveniunt. Ita quoque ses re habet media aestate apud Germanos nostrae provinciae *), multo minus autem apud Esthonos. Jure causam in copiosa portione lactis aciduli, quod modum excedentem hepatis actionem temperat, ponere non dubito (v. §. 13.). Ardore partes solidae relaxantur; itaque ad febres nervosas, quae acute magis nunc excurrunt, et ad febres putridas proclives facit, propterea quod pro minori solidarum partium tono, fluidae quoque aptam mixtionem obtinere non poterunt. Maxime vero nostrates dysenteria infestantur, quae fervida aestate eos praesertim excruciat. Quantas vastationes, e. g. hoc anno quoque, nonnullis regionibus intulit! Et illa, quanta observandi mihi copia fuit, rarius biliosa invenitur quam apud Germanos, nec dubium est quin vel proxima causa in consuetudine aestivas noctes sub divo preragendi reperiat (v. §. 16).

*) Confer. Dr. Blum: Versuch einer Beschreibung der hauptsächlichsten in Reval herrschenden Krankheiten, Marburg 1790, pag. 13. — Prof. Styx: Handbuch der pop. Arzneyw. tab. ad pag. 68, men. Jun. et Jul.

Ut vere membrana mucosa organorum respirationis facillime, oppressa cutis actione, antagonisticè patitur, idem in tractu intestinorum aestate accidit. Maxime perniciosus aestus, mature incipiens. Initium autumnii, Augustus et Septembris nempe, maximam partem salubre est, nisi dysenteria saevire pergat; simulac vero humidæ, frigidæ et turbidæ tempestates ineunt, morborum indoles ad eam appropinquat, quæ vere vulgata est, eo discrimine, quod organa digestiones magis afficiuntur, ad quod præsertim vivendi ratio Esthonorum conferre potest, interdum totas hebdomades epulis consumentium. Ideo hoc tempore in plurimis morbis contenta indigesta in ventriculo deprehendimus; inde febres pituitosæ, intermittentes, biliosæ, aliæque cognatæ; hydropes, scorbutus, in primis rheumatismi eadem ex causa ac vere frequentes sunt. Quo diutius autumnus durat, eo periculosior morborum forma fit, eoque majorem organismus naturæ virium medendi iacturam facit. Frigore incipiente fibra viva validior, circulatio sanguinis celerior, et organismus itaque ad morbos inflammatorios propensior invenitur. Quo frigidior hiems eo frequentiores pneumonia, pleuritis, parotitis, angina. Modicum autem frigus corporis constitutioni Esthonorum valde accommodatum est, et

sälubre. Si vero tepore glaciem solvente hiems abundat, plurimos gignit morbos; exoriantur morbi typhodes, quibus insalubris aër domiciliorum eximie favet. Omnium, qui hoc tempore vigent, morborum febris scarlatina pericolosissima. Frigidis flantibus ventis rheumatismi hypersthenici saepe apparent, quod usum venaesectionis Esthonis ita commendasse videtur.

§. 22.

Causae morbiferae e domibus et alimentis Esthonorum.

Aër corruptus in domibus Esthonorum non tantum magnum impedimentum medelae morborum est, sed fons etiam eorum. In mentem tibi veniant infantes, qui in frigidissimis hiemis mensibus semper aërem, noxiis particulis gravidum, inspirant, facileque confiteberis sanitatis mature hic fundamentum subruui oportere, ubi sanguinis circulatio defectu oxygenii minus alacris est, atque hinc totus organismus maximo praesidio caret. Aestus vehemens in his tuguriis febres putridas fovet, quae corrupto aëre exoriuntur. Fumus, ut aër alia ratione corruptus, nocet, imprimis asthma gignere videtur, saepissime vero causa praedisponens et occasionalis morborum oculorum

multifarii generis est. Praecipue tarsi cum ciliis irritatione fumi intus se convertere videntur, quod sine dubio habitu totius gentis augetur; nam, sicuti omnes gentes Fennicae, Esthoni anguste fissas oculorum rimas habent, quamquam minus quam Lappones. Quoad alimenta, jam attuli ad scrophulas, sic dictos infarctus etc. ea proclives facere, et certe multo magis nocerent, nisi strenuus vitae modus Esthonorum digestioni subveniret. Salubrius profecto esset, si haec gens ad minimum vere humido copiosiore carne vesceretur. Frequenter sumtus cibis piscariis febribus intermittentibus oriundis convenit. Potus spiritus vini nimis frequens saepe irritando multum nocet; tamen persuasum habeo, cum frigidus bibitur, minus eum noxium esse quam spiritiosa calefacta Germanorum.

C a p u t IV.

Nosologia Esthonorum.

§. 23.

Difficultates diagnōsis et curationis.

In morbis Esthonorum cognoscendis et tractandis, medico cum permultis difficultatibus

luctandum est. Quarum præcipuae sint: exigua animi cultura, propriae eorum opiniones pathologicae et ceterae rationes vitae.

Parva animi cultura facit ut fere statum suum accurate describere non possint. Huc accedit, ut ob indolem phlegmaticam et magnam indifferentiam, quae in plurimis morbis haud parum augmentur, non semet tantum ipsi minime observent, sed saepe ne operam quidem dent ut medico accuratius malum suum exponant, idque eo magis, quod in medica arte parvam fiduciam ponunt et mortem ipsam contemunt. Quod attinet ad opiniones eorum pathologicas et rationem sese exprimendi, quae inde profecta est, huic sane medicus quisque, eos curaturus, studeret, qua de re fusius jam loquerer, nisi augusti fines dissertationis prohiberent, quominus plus quam nonnullos aphorismos afferam.

Angustior certe illis naturae cognitio est, quam ut ex noxia rerum extra positarum vi in corpus humanum morbos ejus derivent et per multa sane ex paganismo in eos translata sunt, quae jam superstitiosis opinionibus animos eorum tenent inducuntque ut ex superterrenis rebus morbos suos, praesertim si ex improvise et praeter consuetudinem ingruant, ortos putent. Itaque jam poena Dei ulciscente se affici, jam

magi cujusdam artibus, malum immittentis, teneri opinantur. Quin, ut fert opinio eorum, certa loca sunt, quae appropinquantem varie inficiant, non sananda, nisi his locis metalla radantur. Infantes atrophiam affectos subditiuum foetum diaboli judicant. — Inter falsas opiniones, quas habent de structura corporis, affero tantum, cor in regione cardiaca situm esse, quae de causa, cum de dolore vel languore cordis querantur, malum saepius in ventre quaerendum nonnunquam etiam in intestino coli inveniendum est. Equidem memini audisse plures viros Esthonicos querentes, Utrum de loco suo motum esse. Probabile fit, ut colica vel hypochondria premerentur illi. — Quantum anatomiae usum habeant, jam inde intelligi potest, quod vasa sanguifera et tendines eodem vocabulo nuncupant (esth. soned). Prognosin morborum Esthoni ex appetitu subtrahant. Cibi sumtionem quanti faciant, quisque medicus usu edoctus ex eo cernit, quod de absentibus aegrotis saepe nihil amplius referant quam: „jam nihil cibi sumit,“ confidentes fore, ut medicus inde totam febris cujusdam malignitatem intelligat. Quod ad obstacula curationis morborum attinet, in ceteris rebus, quae hunc populum circumstant, posita, praecipua sint haec: egestas, prava nutritio, domiciliorum

malus status, quorum sordes et aëris insalubritas impellunt, ut medicus rure degens suo quisque loco nosocomium expetere debeat, si operam suam prospero eventu ornari vult.

§. 24.

Conspectus morborum internorum apud Esthonos saepissime occurrentium.

Postquam docuimus, quomodo morbi pro terrae nostrae indole, vitae ratione et corporis constitutione Esthonorum nascuntur, haud alienum erit catalogum eorum brevibus hic proponere, ut uno in conspectu eos videamus.

Febris intermittens. Causae ejus in §. 20 et 21 atque pluribus locis allatae. Valde tenaces sunt et alimentorum parum nutrientium culpa saepe arti obsistunt atque hic nonnunquam scandalon medicorum fiunt.

Febres putridae interdum epidemicae sunt, praesertim in tepidiore hieme vel magnae inopiae temporibus.

Dysenteria inter morbos lethiferos numeranda est. Maxime in infantes saevit. De ortu et natura jam §. 21 locutus sum, et tantum hic commemoro, mortiferam ejus vim e perversa medendi methodo fortasse proficisci, adhuc etiam ab inperitis et medicastris usurpata.

Febres stupidae vel pituitosae autumnno et verno tempore admodam saepe occurrunt, iisque oriundis corporis constitutio Esthonorum maxime favet.

De feбри catharrhali et variis rheumatismi speciebus jam adeo satis dictum est, ut hic tantum adjiciam, me iis medicis, qui arthritidem inter Esthonos saepe se invenisse dicunt, non omnino adsentire. Nonne saepius cum nonnullis rheumatismi speciebus commutata esset? Pauca nimirum vivendi ratio Esthonorum praebet, quae ad hunc morbum inclinare possint.

Febres nervosae valde frequentes, nec tamen ita malignae.

Inflammationum saepissime deprehenduntur erysipelas, ophthalmia, otitis (ex causa rheumatica), anginae variae species, pleuritis, pneumonia.

Inter exanthemata acuta maxime occurrunt scarlatina, variolae, morbilli. Hi non magni ponderis sunt, et interdum tantum nimio aestu et noxio domiciliorum aëre typhi naturam assumunt. Scarlatina, ut supra dixi, in exitiosissimos morbos Esthonorum referenda est. Nonnullis interjectis annis epidemice grassari solet, et eausa, quae eam hic magis mortiferam reddit quam inter Germanos, in diaeta sine dubio quaerenda est. Calor et frigus variant in domibus

Esthonorum, sordes cutis functionibus obstant, neque raro exanthema recedit, aeger intumescit et mors velox vitae finem facit. Multo crudeliores vero variolae in Esthonos saeviere. Hae ante beneficium inventum Jenneri numerosissimas rapiabant victimas. *) Ut multis observationibus probata experientia est, inter populos cultura carentes vehementius furere hunc morbum, sic etiam apud Esthonos comprobatum est, et densa solitudo cutis Esthonicae, atque fervor domuum hoc participant. Benignae operae gubernaculum administrantium aliorumque virorum humanorum debemus divulgatam variolarum vaccinarum insitionem, quam Esthoni primum multum aversabantur, sed septem vel octo ex annis in plurimis regionibus saepe quidem fit, nec ita tamen saepe quam cupias. Sic variolae humanae ante duos annos in regione Pernauensi multos interemere infantes. Dolendum est, quod insitio variolarum vaccinarum tam saepe imperitis committatur, qui bonae lymphae curam agere nequeunt, quod de fide earum apud Esthonos plurimum detrahit, cum variolarum vaccinarum post insitionem infantes variolas humanas accipere videant.

*) Dr. Winkler ante variolarum vaccinarum usum sextam infantium Esthonorum partem variolis interfici arbitratus est. Conf. l. c. pag. 142.

Inter omnes, quibus Esthoni infestantur morbos, pustula livida (esth. will) notatu dignissima, huic genti propria. Morbus in Sibiria grassans, *Jaswa* nuncupatus, *) et alter in Finia **) huic cognati sunt, et discrimen, inter hos morbos et pustulam lividam nostram constitutum, eo potissimum consistit, ut illi ictu insecti cujusdam oriri dicantur, qui, ut Dr. Winkler ***) et Dr. Rinne †) clare ostenderunt, non est causa praecedens pustulae lividae. Horum argumentis consentio, nec tamen in morbo pustuloso fennico insectum, in aëre pendens, causam efficientem esse, mihi persuasum est. Nam quod ad *Furiam infernalem* ††), qua ex aëre in corpus injecta morbus pustulosus fennicus ortum habere fertur, numquam a rerum naturae investigatore clare eam visam et descriptam esse, nec in ullo museo rerum naturalium servatam, et Linnaeum, qui primus eam animalibus adnumeravit, ex uno

*) Johann Georg Gmelins Reise durch Sibirien von 1740 — 1743, Bd. 4, pag. 143 etc. — Pallas: Neue nordische Beyträge, Bd. 1, pag. 113.

**) Nova acta Upsaliensia, Bd. 1, n. 6. (Solander). — Amoenit. acad. VIII., p. 322.

***) l. c. pag. 242.

†) Diss. de pustula livida vulgo „Die blaue Blatter“ morbo Esthoniae endemio, Dorpati 1809.

††) Linn. Faun. suec. 2070. Ejusd. systema naturae. ed. Gmelin. in vermibus. Ejusd. Amoen. acad. l. c.

tantum siccato ipsi monstrato exemplario (quod fortasse Gordii vel Naidis species quaedam erat) eam cognovisse, satis inter naturae curiosos constat. Et Solander nonne in verba magistri nimis juravit? Utcunque res sit, lectoribus brevem expositionem hujus morbi proponam, simul eos ad descriptiones virorum doctorum Dr. Winkler et Rinne de pustula livida delegans, si accuratius in eam inquirere velint. Ex scriptis eorum etiam mutuatus sum quae afferam, cum mihi ipsi quater tantum occasio fuit eam videndi, ne dicam observandi, bis eam enim in teneris vidi annis. Dr. Rinne hunc morbum typhum nervoso-putridum esse contendit, et adsentire debemus; eo magis miror, quod non e communibus typhi causis, aëris depravatione, viriumque varia consumptione pustulam lividam deducere velit *), et singularem morbi speciem ex propriis vitae conditionibus Esthonorum, sordibus eorum etc. repetat, cum Germani hoc morbo numquam, atque servi in praedio domini viventes multo rarius laborant. In humidis regionibus frequentiore esse, multae affirmant experientiae **) (§. 20.), et autumnus

*) l. c. pag. 13-16.

**) Rinne l. c. pag. 10. — Liefländische Abhandlungen von der Arzneywissenschaft von Wilde, pag. 167. — Winkler l. c. pag. 296.

ei favet *). Causam usui piscium adtribui posse, Rinne experientiis suis refutavit **), et in duobus a me observatis casibus, per plures hebdomades nullus cibus piscarius sumtus erat. Plerumque primum in univrsum male se habent cum tanta animi demissione, ut aegrotantibus, admodum validis adhuc nec pustulam lividam suspicantibus, de morte persuasum est ***). Si segnities, capitis dolores, nausea, vomitus aliquamdiu duravere, in corpore, saepissime in facie, una vel plures pustulae lividae, magnitudine pisi, erumpunt, vel vires corporis nituntur eas protrudere, ingravescentibus omnibus symptomatibus, nec id efficere possunt. Si vero corpus tantum valet, spes servandi accedit; si non, corpus inter naturae conatus moritur, nec nisi post mortem macula livida vel vera pustula apparet. Secundo vel tertio die interdum jam mors sequitur. Pustula plerumque in ulcus exedens abit. (Saniem livido-atram emittentem semel vidi).

Inter morbos chronicos exanthematum omnia genera saepe obueniunt; scabies, herpes,

*) Rinne l. c. pag. 10.

**) Rinne pag. 14.

***) Vidi hac aestate feminam, quae, per duos dies jam aegrotans, nullis necessariis negotiis urgentibus ad villam prodibat, quinque werstas a qua remota habitabat. Persuasum habebat hanc viam ultimam fecisse. Ineunte quinto die mortua est, et pustula livida prorupit.

lepra e sordibus, humido aëre oriuntur, et communi balneorum usu facile divulgantur, causisque earum difficile removendis, haud facile curantur. Tinea capitis non solum in infantibus sed etiam adultis occurrit.

Colica varii generis, imprimis flatulenta, hysteria et hypochondria haud raro Esthonos subito invadunt, easque premendo ac vellicando pellere conantur.

Hydropes, et ex iis saepissime hydrocele et oedema, maxime Esthonos vexant. Frequentia eorum pro regionibus variat, iisque oriundis phlegmatica corporis constitutio Esthonorum favet, saepe etiam perversa febris intermittens curatio iis ansam praebeat.

Cum cibi Esthonorum, corporisque constitutio ad producendam nimiam pituitam in tractu intestinorum inclinant, vermes facile gignuntur, qui vero symptomata potius illius status morborum dicendi sunt, quam morbus.

Duo magna morborum genera, spasmi nempe et morbi psychici, inter Esthonos rarissima sunt. Quod argumento est, quantum vivendi ratio exulta et polita, noxie aucta vis imaginationis, et educatio sensibilitatem acuens his morbis procreandis conferant. Epilepsia et spasmi, e vermibus orti, minus raro occurrere videntur. Ex scabiei curatione parum conveniente, inter

Esthonos usitata, interdum epilepsia nasci dicitur. Infantes tamen saepe eclampsiae obnoxii sunt.

Syphilidos inter Esthonos quoque virus late diffusum est. Ante centum annos primum hanc luem observatam esse dicunt*). Ubi-
que se ostendit, celeriter plerumque latius ser-
pit, quia Esthoni ei mederi ignorant et perversis remediis corporis vires labefactant eamque
pértinaciorē faciunt. Sic olim a summo Rus-
sorum regiminē Professores academiae Pernau-
ensis jubebantur omnem curam eradicando huic
morbo adhibere**).

§. 25.

**Morbi externi, vel sic dicti chirur-
gici.**

Huc pertinent: perniones, quorum causa facile ex hiemis natura repeti potest. Non raro homines videmus, qui gelu tota membra amiserē.

Ulcera omnis generis. Saepissime in cli-
nico Dorpatensi ulcera scorbutica, scrophulosa
et venerea curantur. Causas in §§. 20 et aliis
locis expositas videbis. Nescio unde fit, ut

*) Körper l. c. pag. 82.

**) Bergmann l. c. pag. 44.

nonnulli de re medica in nostris regionibus tractantes scorbutum hic non inveniri contendunt. (Berg in dissert.)

Panaritium causae, quas exquirere non potui, non parum frequens faciunt. Lotrices saepissime invadit.

Inflammationes omnis generis, abcessus, furunculi et alii morbi, omnibus regionibus familiares, Esthonis quoque non desunt.

Nulli vero morbi chirurgici saepius occurrunt quam morbi oculorum. Exemplo frequentiae eorum afferam tantum, inter viginti sex aegrotos, qui mense Septembri 1809 in clinicum chirurgicum recipiebantur, sexdecim cum morbis oculorum fuisse. Causae hujus crebritatis non difficile inveniendae sunt. Ad causas praedisponentes, in §. 22 allatas, individualem oculi structuram et famo auctam sensibilitatem, accedunt praecipue causae occasionales ex tempestatum vicissitudine et nivis lumine, aciem oculorum praestingente, quae ophthalmias quovis gradu gignunt, ex quibus cetera morborum genera origines ducunt. Habitus corporis scrophulosus nonnullis oriundis favet. Trichiasin, paene endemiam, habitus genti familiaris praecipue profe-

rat, nec non lippitudinem. *) Species morborum oculorum, quas in annalibus clinicis saepissime inveni, sunt: ophthalmiae quovis gradu, psorophthalmia, trichiasis, lippitudo, entropium, ectropium, staphyloma, maculae corneae, cataracta, amaurosis. Sane paucae terrae tantum oculis captorum multitudinem exhibere poterunt, quam Livonia et Esthonia.

Caput V.

Nonnulla de therapia morborum Esthonorum.

In hac dissertatione elaboranda cum mihi non proposui practicam institutionem omnium morborum Esthonorum tradere, quippe quae opus multo majoris ambitus requisivisset; et cum sibi quisque, scientia medica exornatus, facile ipse curandi methodum parare potest, si frequentissimae causae ei notae sint, prius de auxilio medico, quo plurimi Esthonorum rure utuntur, sermo erit, tum praecepta generalia proponentur ad aegrotos tractandos.

*) Ut oculi Lapponum nobis describuntur, perpetuo lippitudine quadam minoris gradus laborare videntur.

De ope medica qua plurime utuntur
Esthoni.

Esthoni aegrotantes raro per veros medicos sanantur; plurimi confugiunt vel ad sui similes, vel ad dominum vel ad sacerdotem suum. Medicorum rusticanorum in Livonia et Esthonia tam parvus numerus est, ut saepe domicilia eorum decem milliaria nostra inter se distent, id quod omnino vetat, ne quisque aegrotus medicum vocare possit. Nosocomia fere nulla sunt. — Cum de origine morborum haec gens superstitiosas habet opiniones, facile suspicamur, eam in curatione morbi remediis haud absimilibus uti. Sunt semper in hoc populo nonnulli, qui cognomen sapientum sibi vindicent (esth. tark) et portento quodam ad artem medendi e. g. dissolvendo magnum vipereum nexum et alia similia, se pervenisse simulent. In his ceteri Esthoni maximam ponunt fiduciam, nec infitandum est, eos variis malis, praesertim externis laesionibus mederi posse. Operam vero, quam praestant, comitantur magno apparatu magico, quem ceteri summam rei esse putant. Aegroti frequentissime utuntur spiritu, aceto, vitriolo, pulvere pyrio, mercurio vivo, asa foetida, oleo terebinthinae, sulphure.

Vim quoque domesticarum herbarum adhibent, quarum usum diligenter aliis occultant. Facile igitur intelligas, si talis curandi methodus saepe prospere procedat, multos tamen salutem et vitam amittere, sin minus succedat, tales homines ea argutia uti, qua culpam in daemones vertant. Num illi Aesculapii accusandi sunt, si aegrotantes, quos tam glorioso eventu intra paucos dies unguentis suis liberaverunt scabie vel aliis sordidis exanthematibus, posthac afficiuntur asthmate, phtisi, epilepsia? ~~Alia~~ Opem, quam praediorum domini ferunt, non pluris facio, nam ob paucitatem medicorum in quoque fere praedio membrum quoddam familiae munus medicinae distribuendae suscipit, haud parvam gloriam sibi assumens, si nonnumquam adhibita cura bene processerit. Quin hi divino afflatu edocti medici peritissimos se putant, cum ludibrio habentes falsam methodum, secundum quam paucis ante annis nihil fere nisi medicamentum purgativum et vomitorium praebebant, nunc in quocunque morbo opium, camphoram, arnicam et aloën promiscue porrigant haud diffidentes, tam bona remedia, si successu careant, certe innoxia esse. Num ex hac theoriae medicae mutatione Esthoni fructum ceperint? — Nescio an sint aliae literis excultae terrae in Europa, ubi hodie etiam tot graves

noxiaeque praejudicatae opiniones de re medica occurrant quot in Livonia atque Esthonia deprehendimus *).

§. 27.

Praecepta generalia, secundum quae morbi Esthonorum curandi sunt.

Haud dubie nihil magis respiciendum est quam ut medicus vivendi usum Esthonorum proviribus suis emendare studeat. Purus aër, apta nutrimenta et munditia eo majorem vim in morbum habent, quo rarius in sano statu corpus ejus his fruebatur. Luculentissima hujusce rei documenta clinicum nostrum quotidie praebet. Maxime memorabilis exempli haud dubie plurimis commilitonibus meis recens adhuc memoria sit. Proferebatur ex palustri loco adolescens quindecim annorum, scrophulosis parentibus natus, cujus tota cruris superficies anterior et pars femoris sinistri lateris scorbutico-scrophulosis ulceribus tectae erant. Singula ulcera in inferiore extremitate alterius lateris conspiciantur. Tibia cariosa et paulatim ossea frag-

*) Qui curationes Esthonorum et Germanorum his locis diligentius cognoscere velit, ei commendamus: Hupel topogr. Nachrichten, Bd. 1, pag. 558, et Winkler l. c. praefationem. Wilde: Liefländische Abhandlungen, pag. 51—56.

menta excutiebantur adeo ut foetor, quem ulcerum multitudo dilatabat, vix tolerandus esset. Praeterea totum corpus his ulceribus, quibus anno amplius laborabat, jam emaciatum erat. Intra spatium quatuor septimanarum purus aër, nutriens victus, adjunctus interno usu decoct. turpini tam bene eum restituerant, ut palmae spatium tantum exulceratum esset cum antea tibia omnis ulceribus affecta erat. Quem casum potissimum elegi, ut magnam vim aptae vivendi rationis ostenderem; nam hanc multum effecisse ex eo elucet, quod similia ulcera, quibus laborabant alii, qui certis horis clinicum frequentabant, nec recipiebantur, multo tardius curabantur, quamvis leviora essent.

Medicina simplex his hominibus, ut cuique nimia cultura nondum corrupto, porrigenda est. Tenuia incitamenta in his nondum assuetis aequae efficacia sunt ac multo validiora in populis, quorum corpus frequenti usu condimentorum et epularum magnam receptivitatis vim perdidit. Infus. cham. et valer. aa. jam hic valde efficax medicina est. — Semper ratio habenda est, ut perspirandi munere justo modo fungantur, quo fiet, ut plurimi morbi facillime tolli possint.

Habes nunc, benevole lector, descriptionem de statu sano et morboſo Eſthonorum, qualem pro eo quod mihi perſuaſum eſt dandum credidi. Status vero populi Eſthonici, quem verbis depingere conatus ſum, minus laetus fortaſſe cuius hominum amanti videatur. Qua re eum meliorem reddere nitendum eſt, et id fieri quoque videmus.

Liceat etiam mihi, ut medico, de meo aliquid conferre, et investigandis cauſis morborum Eſthonorum, ad eos praecavendos viam aperire. Noxiam vim tepeſtatum arcere, in noſtris viribus quidem non ſitum eſt, ſed multae res nocentes tamen e vitae ratione removeri poſſunt. Maxime neceſſarium hic videtur domuum emendatio. Cuique recte ſentienti viro hac ratione opusculum commendo, quod inſcribitur: Ueber Verbeſſerung liefländiſcher Bauerwohnungen, von einem liefländiſchen Gutsbeſitzer, Dorpat 1814, quod etiam multa medico probabilia continet. Quis auctori non adſentiat, cum rerum externarum vim in hominem, quoad phyſicam ejus et moralem naturam, maximam eſſe dicit! Quis non cum illo intelligat domuum Eſthonorum noxiam conditionem eſſe, cum, vividis eam depingens coloribus, adjicit:

Ut eos, qui fortasse, ut cupio, uberius de pathologia et therapia Esthonorum disserere et agere velint, adjuvare possim, eos enumerabo libros, quos in elaboranda dissertatione cognovi. —

Rem medicam tractant: Versuch die gewöhlichsten Krankheiten bey dem gemeinen Mann, und besonders denen liefl. Bauren auf eine leichte und wohlfeile Art zu heilen, entworfen von Dr. P. F. Körber, Reval 1761, 8. — De ruricularum Livoniae statu sano et morboſo etc. disserit Ambrosius Bergmann, Lipsiae 1762, 4. — Liefl. Abhandlungen von der Arzneywissenschaft, von P. E. Wilde, 2te verbesserte Aufl., Ober-Pahlen 1782, 4. — Sam. Reinh. Winkler, der Arzneyk. Doct., von einigen der gewöhlichsten Krankheiten der Ehstländischen Bauren, Reval 1793, 8. — Handbuch der populären Arzneywissenschaft, für die gebildeten Stände in den nördl. Provinzen Rußlands, insonderheit für Landgeistliche und Grundbesitzer in Kur-, Lief- und Ehstland, von Prof. M. E. Styx, 1r Thl., Riga 1803, 8. — Gemeinnütziges medizinisch-praktisches Handbuch für die gebildeten Stände der Landbewohner Lief-, Ehst- und Kurlands, von E. W. Drümpelmann, erster Thl., Riga 1806, 8. —

Monographiae nonnullae huc numerari possunt: Dr. M. E. Styx: über den Mißbrauch des Aderlassens in den nördlichen Provinzen Rußlands, für Leser aus allen Ständen, Riga 1793. — Zweckmäßige und falsche Anweisung zur Kuhpockeneinimpfung, eine Volksschrift für Lieflands Bewohner, von Dr. E. W. Drümpelmann, Riga 1804, 8. — Diss. med. inaug. de pustula livida, vulgo „die blaue Blat-

ter,“ *Inorbo Esthoniae endemio*, [autore] Christoph Henr. Rinne, Dorpati 1809, 8. — *Oeppetus tallo rawha Aemmadele*, Tallinas 1812, (von Dr. Walter). —

Nonnulla de morbis Esthonorum deque remediis iis mendendi invenies singulis locis aliorum librorum: ut Hup. Top. Nachr. Bd. 1. pag. 558-574. Ejusd. Oekonom. Handbuch Bd. 1. pag. 281-298. — Joh. B. von Fischer Landwirthschaftsbuch, 2ter Anhang.

Libri in quibus argumentum capitis primi et secundi nostri tractatur, sunt: Joh. Bernh. von Fischers Liefländisches Landwirthschaftsbuch, Riga und Leipzig 1772, 8. — A. W. Hupels topographische Nachrichten von Lief- und Ehistland, 3 Bde., Riga 1774, 8. — Versuch einer Naturgeschichte von Liefland, entworfen von J. B. Fischer, Königsberg 1791, 8. — Eckardt, Uebersicht der Rigischen Statthalterschaft, Riga 1792. — Physisch-, ökonomisch- u. statistische Bemerkungen von Lief- und Ehistland, von W. Chr. Friebe, Riga 1794, 8. — Oekonomisches Handbuch für Lief- und Ehistländische Gutsherrn, herausgegeben von A. W. Hupel, Riga 1796, 8. — J. G. Georgi's geographisch-physikalische und naturhistorische Beschreibung des Russischen Reichs, Königsberg 1798, 8. — Ehistland und die Ehsten, von J. Chr. Petri, Gotha 1802, 3 Bde. 8. (falsis maximis et innumerabilibus praepollens). — Ueber Verbesserung liefländischer Bauernwohnungen, von einem liefländischen Gutsbesitzer, Dorpat 1814. — Quaedam repertiuntur in actis societatis oeconomicae Livoniae: Abhandlungen der Liefl. gemeinnützigen u. ökonom. Societät; Friebe's ökon. Repertorium et A. v. Löwis neueres ökon. Repertorium.

T h e s e s .
 — Opperus 1800. 3. —
 — (von Dr. Weber). —

1.

Non tantum in pneumonia hypersthenica, sed etiam in asthenica venaesectio saepius faciendā, quam omittendā.

2.

Nulla habemus medicamenta, quae omnia corporis humani systemata aequaliter irritant.

3.

Vermes intestinales non extrinsecus in corpus veniunt.

4.

Falsa opinio est, naturam ubique ea proferre, quae morbis ibi regnantibus potissimum medentur.

5.

Vituperandi sunt medici, si aegrotantibus morbos, quibus laborant, uberius exponere conantur.

6.

Nec calor, nec lumen materies.

7.

Falsum est, quod physici contendunt, ex pondere corporum, materiei quantitatem iudicandam esse.

8.

Nostris temporibus indignum est, generationem aequivocam negare.